



Specimen exegetico-historicum de altera Pauli captivitate

<https://hdl.handle.net/1874/300173>



Misc. doctr.
Qu. n° 192

BOEKBINDERIJ
VAN
Grondijs en v. d. Gant.
Utrecht.

Astro, G. De altera Pauli captivitate.

Wijk jr., J. A. Gerth van. Historia ec-
clesiae Ultrajectinae, Romano-catho-
licae, male jansenisticae dictae.

3. Drost, A. De Moyse Amyraldo, ethices
christianae doctore.


4. Feith J. R. De culpa praestatione in
obligationibus


5. Jacobi, H. De crimine status suppressi.

6. Paris, G. De Ludgero Frisiorum Seno,
numque apostolo, cui accedit comme-
moratio Ludgeri de S. Bonifacio atque
Gregorio.

7. Bake, G. A. van den Wall. De remotione
officialium ministerii publici secun-
dam art. 12 leg. de re judiciali.

8. Eyken, J. G. van. De Luciano philosopho.





SPECIMEN EXEGETICO-HISTORICUM

DE

ALTERA PAULI CAPTIVITATE.

RECTORIS UNIVERSITATIS UTRECHTENSIS

ALBERTI PAULI CAPTIVITATE

RIJKSUNIVERSITEIT UTRECHT



0702 3868

10 7/10 II

SPECIMEN EXEGETICO-HISTORICUM

DE

ALTERA PAULI CAPTIVITATE,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BERNARDI TER HAAR,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE

IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

GUILIELMUS ASTRO,

ex oppido Nykerk.

A. D. XXI M. JUNII, ANNI MDCCCLIX, HORA XII.



Trajecti ad Rhenum.

TYPIS MANDARUNT KEMINK ET FILIUS.

MDCCCLIX.

SPICEM FLEBIS HISTORICUM

ALTEHA PAULI CALVITATE

ANNOBATE SMO MO MDLXX

IN MONTANO DE SMO MONTANO

BERNARDUS TER HAAR

TRADITUS EST

1670

LIBRARIUS SMO MONTANO

POSTERIORI FACILITATE HISTORICIS

Historia

1670

IN MONTANO DE SMO MONTANO

IN MONTANO DE SMO MONTANO

IN MONTANO DE SMO MONTANO

IN MONTANO DE SMO MONTANO

QUILLIMUS ABRO

IN MONTANO DE SMO MONTANO

IN MONTANO DE SMO MONTANO

IN MONTANO DE SMO MONTANO

IN MONTANO DE SMO MONTANO

IN MONTANO DE SMO MONTANO



PATRI OPTIMO CARISSIMO

SACRUM.

PATRI OPTIMO CARISSIMO

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

LABOUR

PRAEFATIO.

Mihi jam Min. Candidatis adscripto, summos tamen in Theologia petere honores mihi valde arrisit, neque unquam me poenitebit me hoc consilium iniisse, quo huic desiderio indulsi. Cur in specimine academico, quod mihi erat conscribendum, de altera Pauli captivitate egerim, satis superque docet introductio. Idcirco non opus est ut hinc hac de re plura dicam, hoc tantum eâ, quâ par est humanitate, rogare mihi liceat, ut lectores benevole hunc meum libellum accipiant, utpote juvenilis studii primum fructum.

Cui vero potius, quam tibi hunc librum dicarem, Pater optime carissime, qui semper summa cura, summoque amore me prosecutus es. Quae quum in memoriam revoco, desunt mihi verba ut merito tibi gratias agam pro tot tantisque beneficiis, sed admodum gaudeo

quod Pater coelestis preces ex intimo pectore effusas audiat. Quanti facerem si etiam matri dilectissimae gratias agere possem, cujus dulcissimam imaginem ob oculos habeo, quamquam ea mihi, puero, erepta est, cujus autem memoriam pie semper colam. Accipe igitur, optime Pater, accipe hunc libellum filii tui, qui ex tribus liberis solus tibi superstes manet. Perge me diligere, perge mihi tuis consiliis tuaque experientia adesse, et Deus optimus, maximus corroboret seniles tuas vires, et omnibus in Christo beneficiis te prosequatur.

Tibi quoque gratias ago, Clarissime TER HAAR, Promotor aestumatissime, pro tua erga me benevolentia, pro tuo auxilio in meo opere perficiendo. Deus diu te incolumem servet.

Vos quoque compellare gratum mihi est munus, viri clarissimi BOUMAN et VINKE. Saepe vestrae amicitiae documenta accipere mihi contigit, nunquam mihi auxilio vel consilio egenti, defuistis. Fruere, clarissime BOUMAN, quiete dulci et pergas etiam in tua senectute juvenes studiosos eadem amicitia et caritate prosequi.

Vos quoque accipite gratias meas, viri clarissimi omnes, quorum institutione fructus sum.

Te recordari, clarissime FRANCKEN, Academiae Groninganae nunc Professor, suadet cor meum, quum in memoriam revoco contubernium illud biennale, per quod tua amicitia sum gavisus, tua scientia singulari fructus

sum. Nunquam felices illos dies oblivioni tradam, gratus tibi tuaeque familiae esse nunquam desinam, sicut spero fore ut mei nunquam immemor futurus sis.

Vos publice gratias agere mihi liceat, viri doctissimi, VAN DEN HAM, BEETS, BARGER pro summa erga me caritate. Vestra amicitia semper gloriabor, vestra consilia etiam in posterum invoco. Diu Deus vos sustentet, et in munere gravissimo fungendo, vobis adsit et summa sua benevolentia vos officiat.

Me convertito ad vos, amici dilectissimi, quibuscum intimam consuetudinem habui, firmaeque amicitiae vinculis conjunctus fui. Multa vobis debeo, gratias vobis ago pro tanta amicitia. Vivite felices, nostra amicitia semper crescat, sitis mei non immores, fatis patriae decus, imprimis autem Jesu Christi servi fideles.

Ultrajeeti,
die XV mensis Junii anni 1859.

CONSPECTUS.

INTRODUCTIO. Pag. 1.

PARS PRIMA.

DE APOSTOLI, QUAE EPISTOLIS AD PHILIPENSES ET AD PHILEMONEM INSUNT, EXSPECTIONIBUS.

CAPUT I.

De epistola ad Philippenses. 7.

CAPUT II.

De epistola ad Philemonem. 13.
§ 1. Conclusio. 21.

PARS SECUNDA.

DE EPISTOLIS PASTORALIBUS.

CAPUT I.

De priore ad Timotheum epistola. 23.

CAPUT II.

De epistola ad Titum. 70.

CAPUT III.

De altera ad Timotheum epistola Pag. 85.

CAPUT IV.

De epistolarum pastoralium convenientia 107.

PARS TERTIA.

DE ACTUUM APOSTOLORUM LIBRO, PRAESERTIM

DE EJUS FINE 111.

PARS QUARTA.

DE VETERUM TESTIMONIIS 123.

CONCLUSIO 143.

INTRODUCTIO.

De altera Pauli captivitate permulti viri docti egerunt. Neque hoc mirum. Est enim quaestio gravissima et difficillima de qua magno cum argumentorum pondere ac doctrinae apparatu ab utraque parte disputari potest. Gravissima est quaestio, quia, ut Novi Testamenti critica docet, cum hac quaestione lis de authentia epistolarum pastoralium, quae dicuntur, arctissime est conjuncta. Difficillima, quia Lucas in altero suo libro multa, quae ad Pauli apostoli vitam pertinebant omisit, ita ut optime fieri potuerit, ut etiam illa apostoli facta et fata, quae epistolae pastorales ponunt, non memoraverit, quam ob rem multi viri docti,

authenticam epistolarum pastoralium vindicantes, vehementer tamen alteram captivitatem oppugnant. Hi quoque urgent Lucam de Pauli liberatione nihil quidquam communicare, quod iis vix vel ne vix quidem explicandum videtur, si ejus captivitas revera talem eventum habuit. Accedit veterum testimonia ejusmodi esse, ut ii, qui alteram captivitatem ob hanc illamve causam rejiciant, ea tanquam minoris ponderis spernenda esse clament. Alii contra, licet epistolas pastorales oppugnent, in iisdem tamen veterum testimoniis alterius captivitatis defendendae praesidium quaerunt. Nemo igitur putet me eam ob causam hocce specimen de altera Pauli captivitate scripsisse, quia vana ac satis temeraria spe inflatus fuerim, fore ut hanc gravissimam difficilissimamque quaestionem plane solverem. Sed diversas variorum theologorum sententias ponderans, animadverti alios obiter tantum vel satis leviter hanc rem tractasse, alios, spretis vel omissis argumentis quae contra prolatam sententiam pugnant, uni alterive argumento tale pretium statuuisse, quasi nullus contradicendi restaret locus.

Ut statim mentem meam exemplo illustrem hoc

e vario de Pauli expectationibus, quae epistolis ad Philemonem et Philippenses insunt, iudicio petere liceat. Inter veteres scriptores bene multi hisce expectationibus fere unice nitentes, eas omnino sufficere aestimarunt ad alteram Pauli captivitatem defendendam et vindicandam. E contrario hodierno tempore haud pauci earundem expectationum nullam rationem habent ac tam pauci eas aestimant, ut illas sine damno praetermitti posse opinentur.

Idem valet de libri act. apostolorum narratione. Hic statuit Lucam ita narrare, ut nullus dubitare queat quin Paulus martyrium subierit, ille vero pro certo habet Paulum, quia Lucas ne verbo quidem hujus martyrii mentionem facit, liberatum esse.

In tanta sententiarum ac opinionum diversitate me haud plane superfluum vel inutilem laborem suscepturum esse putavi, si diversas illas sententias, quae ab utraque parte defenduntur, singulatim exponerem ac pro viribus accuratius pretium definire conarer quod cuivis sit statuendum. Sic enim spem prae me ferre licet, fore ut aliquid saltem

perfecerem ad quaestionem illam difficillimam et gravissimam (si revera dirimi potest) solvendam. Quatenus hoc meum consilium attigerim non meum est dijudicare, at dijudicet benevolus lector.

Specimen meum in has quatuor partes majores dividendum esse duxi:

I. *De apostoli, quae epistolis ad Philippenses et ad Philemonem insunt, caespertationibus.*

II. *De epistolis pastoralibus.*

III. *De act. apostolorum libro, praesertim de ejus fine.*

IV. *De veterum testimoniis.*

Antequam ipsum disputationis argumentum aggredimur, praemonuisse haud supervacuum erit, me authentiam epistolarum pastoralium nequaquam data opera, defendisse. Quod minime neglexi, quoniam me fugit vel latet quam gravis lis hac de re nostris diebus agitetur. Multo magis hanc quaestionem talem esse persentio, quae si recte tractaretur, longe prolixiorum disputationem quam hac mea dissertatione continetur, requireret. Praeterea non

prorsus illud necessarium duxi, quoniam minime ex harum epistolarum authentia, utpote unico argumento, ad alteram Pauli captivitatem conclusi, sed meam sententiam veterum quoque testimoniis aliisque argumentis fulcire conatus sum. Quid? quod si harum epistolarum authentiam comprobare debuisssem antequam de meo argumento agere liceret, eodem jure a me postulari posset, ut epistolarum quoque ad Philemonem et Philippenses Paulinam originem contra Tubingensis scholae dubia plane defenderem. Qui tamen labor, ut rite peragatur, non tantum vires meas superaret, sed etiam justos terminos Academico specimini positos longe migraret. Jam vero si mihi contigerit, rationibus atque argumentis aliunde quoque petitis, alteram Pauli captivitatem probabiliorem reddere, hinc quoque arma ad impugnatam epistolarum pastoralium authentiam tuendam petere licebit.

Restat, ut verbo quoque moneam de forma ac regula, quam in annotationibus textui subjiciendis sequendam esse duxi. Forte quis mirabitur multa in annotationibus esse posita, quae in textus ipsius oratione locum sibi vindicare possent; is tamen teneat,

me de industria, in variis sententiis ac conjecturis, quarum ingens est numerus, referendis vel refutandis brevitati et concinnitati consuluisse, ne prolixiore disputatione huc illuc divagante, lectorum animus iterum iterumque longius ab ipso argumento avocaretur. Ne tamen hac in re leviter versatus esse viderer, in annotationibus accuratius argumenta exposui, quibus ad memoratas sententias amplectendas vel rejiciendas adductus fueram.

PARS PRIMA.

DE APOSTOLI, QUAE EPISTOLIS AD PHILIPPENSES ET
AD PHILEMONEM INSUNT, EXPECTATIONIBUS.

CAPUT I.

Epistola ad Philippenses.

Inspicientes hanc epistolam hoc statim animadvertimus Paulum hoc tempore fuisse captivum (Phil. I: 7, 13, 14; II: 17). Hoc jam sufficit ad sententiam OEDERI¹ refutandam, qui putat hanc epistolam a Paulo esse compositam, quo tempore apostolus Corinthi fuerit (act. XVIII: 1 sqq.); nam satis superque patet Paulum apostolum eo tempore non fuisse captivum. Quaestio autem moveri potest, utrum Paulus hanc epistolam in captivitate Caesareënsi an potius in captivitate Romana scripserit.

Pauci² tantum viri docti de Caesarea, longe

¹ De tempore et loco Epistolae ad Philippenses scriptae.

² PAULUS, *Progr. de tempore scriptae Caesareae prioris ad*

plurimi de Roma cogitant. Haec sententia confirmatur: 1° iis, quae leguntur cap. I: 13; nam quam diversae sint virorum doctorum de vocabulo *πραιτορίω* sententiae, in hoc tamen conveniunt, illum locum Romae esse quaerendum¹. 2° Quod scribit apostolus cap. IV: 22. Ἀσπάζονται ὑμᾶς πάντες οἱ ἅγιοι, μάλιστα δὲ οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας; nam parum probabile est apostolum cognatos vel libertinos Imperatoris Caesareae degentes in mente habuisse. 3° Imprimis autem iis, quae Paulus in hac epistola de sua ipsius conditione et de euangelii promulgatione narrat, et quae tantum intelligi possunt si scripta sunt in ejus captivitate Romana; exinde enim satis apparet, Paulum talem iudicii eventum sibi proposuisse, quo mortis *posset* damnari. Hoc autem Caesareae multo minus exspectare potuit, quandoquidem semper, utpote civis Romanus ad Imperatorem provocare posset². 4° Quod etiam, teste Luca (act. XX: 11),

Timotheum atque ad Philippenses epistolae Paulinae; BÖTTGER, *Beiträge*, Gött. 1837, qui probare studet Paulum per quinque tantum dies Romae fuisse captivum. Contra eum legenda, quae scripsit NEANDER, *Gesch. der Pflanzung* etc.

¹ Cff. WIESELER, *Chronologie des Apost. Zeitalters* pag. 403. MEYER, *Com. Einl.* DE WETTE, *Com. Einl.* VAN HENGEL, *Com. Introd.* SCHOLTEN, *Inl.* p. 269; CREDNER, *Einl.* pag. 424. GERICKE, *Gesamtgeschichte* pag. 333.

² Cff. WIESELER l. l. pag. 422. CREDNER l. l. pag. 423; DE WETTE, *Com. Einl.*, qui hoc imprimis urget dicens: Besonders aber ist *fust entscheidend*, dass der Apostel die Katastrophe seines Schicksals erwartet, was nur in Rom, nicht in Caesarea, wo ihm

Deus eum in visione nocturna docuerat, Romae quoque euangelium ab ipso esse annuntiandum, et hoc in mentem revocans Paulus, revera Caesareae non locutus esset, ut loquitur Phil. I : 15, II : 17. 5° Talem tantamque evangelii annuntiandi libertatem, quali, hac epistola docente, gaudebat, tantum secundum act. XXVIII : 30, 31, Romae, non vero Caesareae habuit, ubi tantummodo nemo τῶν ἰδίων prohibebatur, quominus ei servirent (act. XXIV : 23) ¹.

E verbis: „ἔχειν ἄνεσιν” (Act. XXIV : 23) nonnulli efficere volucrunt Paulum fuisse sine catenis et fructum esse „custodia libera” quod autem pugnat cum iis quae historia aliunde docet, ² et etiam cum sectione 27^a, in qua Felix dicitur Paulum δεδεμένον Porcio Festo successori reliquisse, et e verbis sect. 23^{ae} „τῷ ἑκατοντάρχη” patet hic agi de custodia militari.

Hisce concessis jam attendimus ad expectationes sive liberationis sive martyrii, quas apostolus Romae in captivitate degens, hac in epistola prodiderit.

im schlimmsten Falle noch der Ausweg der Anrufung des Kaisers offenstand, der Fall war;” GUERICKE l. l. pag. 333, alii.

¹ Verba ἢ προσέρχασθαι spuria sunt. Cff. MEYER, WIESELER, DE WETTE, TISCHENDORFII N. Test. nuper editum.

² Qui plura hac de re legere cupit adcat WIESELERUM l. l. pag. 380 sqq. et fontes ibi citatos. Inter suae sententiae adversarios enumerat etiam MEYERUM. Hic autem in 2^a edit. Com. qua utor, WIESELERO assentitur, a quo igitur meliora didicit.

Cap. I:12 hujus epistolae Paulus commemorat bonos euangelii et suae captivitatis fructus, et quamquam dolens, quod non omnes in Euangelio annuntiando sincero Christi et veritatis amore ducerentur, nihilominus apostolus valde gaudet, et quamquam ipsi apostolo longe exoptabilius esset ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι; tamen ecclesiae causa in vita remanere magis necessarium duxit. Nunc spem liberationis disertis verbis, adeoque hac in re omni nostra attentione dignis, exprimit: καὶ τοῦτο πεποιθῶς οἶδα, ὅτι μενῶ καὶ συμπαραμενῶ πᾶσιν ὑμῖν εἰς τὴν ὑμῶν προκοπὴν καὶ χαρὰν τῆς πίστεως etc. (Phil. I: 25).

Primo loco quaerendum, utrum τοῦτο spectet ad praecedentia an potius ad sequentia. Multi statuerunt ad sequentia, qui πεποιθῶς tanquam adverbium explicaverunt¹. Sed haec explicatio minus placet, quum nullus adduci possit locus, quo πεποιθῶς adverbialiter occurrit. Eam ob causam plerosque novos interpretes sequimur (DE WETTE, MEIJER, WIESINGER, VAN HENGEL, GERLACH, alios) contententes τοῦτο ad praecedentia spectare, ita ut PAULUS dixerit: καὶ τοῦτο (nempe τὸ δὲ ἐπιμένειν ἐν σαρκὶ ἀναγκαιότερον δὲ ὑμᾶς) πεποιθῶς οἶδα κ. τ. λ. Quomodo autem illud οἶδα explicandum? Hanc quaestionem maximi esse momenti, quis non videt? Si probari posset, Paulum haec verba locutum esse divina patefactione edoctum, tum revera illud

¹ Cf. DE WETTE ad l. qui multos scriptores enumerat.

οἶδα valde esset urgendum, et nostra quaestio soluta esset; sed hoc probari nequit, et inquirendum annon *οἶδα* etiam minorem vim habere possit. Confiteri autem debemus nos dubitare, an *οἶδα* in omnibus locis quae cl. VAN HENGEL ex cod. sacro allegat, hanc significationem habeat. E nostra sententia haec vox h. l. maxime notionem habet praesagiendi. Clarissimus v. HENGEL multa exempla affert cum e classicis tum e codice sacro e quibus patet *οἶδα* nonnumquam notionem „praevidendi” habere posse, ita ut Paulus hanc liberationis spem haurire debuerit e conditione fausta, qua tum gavisus sit¹; de hac conditione autem postmodum agemus.

Missa faciamus, quae narrat apostolus sectt. 26 et 27, quandoquidem ex verbis: „*διὰ τῆς ἐμῆς παρουσίας*” et „*εἴτε ἐλθὼν καὶ ἰδὼν ὑμᾶς εἴτε ἀπῶν*” nihil effici potest. Nunc primum in censum veniunt verba cap. II : 17; *ἀλλ’ εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν, χαίρω καὶ συγχαίρω πᾶσιν ὑμῖν.* Quaestioni cum quam sectione hoc dictum sit conjungendum, varie respondent interpretes. DE WETTE illud conjungit cum cap. I : 26 et in praecedente adhortatione, cogitationis aberrationem apostoli videt². Sed quisque videt hanc conjun-

¹ Sic etiam statuit VAN DER PALM ad l.; at sicut nos locum interpretati sumus mitti potest, quod ille vir doctissimus addi curat: „Indien Paulus uit zijne eerste gevangenis te Rome niet ontslagen is, heeft hij zich hier te sterk uitgedrukt.”

² Offenbar ist die vorhergehende Ermahnung eine Abschwei-

ctionem satis duram esse, et eo magis quum apostolus non pergat in suis rebus enarrandis. Eam ob causam multi alii illud conjungunt cum sectione praecedente, sed interpretes non eundem nexum cum praecedentibus proponunt. Nobis maxime placet sententia eorum, qui putant Paulum sectione 16^a spem expressisse se suis oculis visurum esse gloriosam Philippensium conditionem sect. 15^a descriptam, eos esse ἀμέμπτους καὶ ἀκεραίους κ. τ. λ., hoc quidem ei esset εἰς καύχημα. Nunc sect. 17^a contrarium ponit et etiam tum respondet: χαίρω, κ. τ. λ. Sic omnia bene cohaerent. Agamus nunc de ipsa sectione.

Ἄλλ' εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν χαίρω καὶ συγχαίρω πᾶσιν ὑμῖν.

De singulis hujus sectionis verbis eorumque explicatione agere nolumus, hoc tantum animadvertere volumus majoris probabilitatis notionem inesse vocabulis „εἰ καὶ,” quam si legeretur „καὶ εἴ”¹ ita ut hisce verbis Paulus indicaverit, etiam fieri posse ut martyrium subiret.

Sectione 19^a apostolus scribit se Timotheum misurum esse, eum laudat et sect. 24^a spem suam fore ut ipse brevi veniat, hisce verbis exprimit: πέποιθα δὲ ἐν κυρίῳ, ὅτι καὶ αὐτὸς ταχέως ἐλεύ-

fung. . . . und man könnte von I: 26 unmittelbar zu II: 17 übergehen, ohne eine Lücke zu bemerken. Ita etiam STORR et FLATT.

¹ Cf. WINER. *Gram.* Edit. 6^e pag. 394, MEYER, ad I.

σομαι. Secundum nostram sententiam, hisce verbis major inest vis, quam cap. I: 25 et ea in interpretari possumus: Confido, fiduciam meam in Domino reponens, quae igitur haud vana vel inanis erit, me ipsum brevi ad vos venturum esse.

CAPUT II.

De epistola ad Philemonem.

Postquam vidimus, quid Paulus de sua conditione in epistola ad Philippenses dixerit, pergamus ad epistolam ad Philemonem. Antea autem nostra sententia defendenda est etiam hanc epistolam Romae scriptam fuisse.

Bene multi viri docti idem statuentes quod ad locum attinet, quo epistola ad Philippenses composita sit, hac in re a nobis dissentiunt, quod ad epistolam ad Philemonem attinet. Ad nostram sententiam probandam 1° iterum attendimus ad libertatem, qua Paulus secundum hanc epistolam gavisus est, in euangelio annuntiando. Hoc autem nonnulli qui et hîc de Caesareensi captivitate cogitare jubent negarunt¹, putantes dictum in Act. cap. XXIV: 23 „μηδένα κωλύειν τῶν ἰδίων” non adeo esse restringendum². Si tamen conceditur

¹ WIGGERS, *Stud. u. Krit.* 1841. IIft. 3. p. 843. MEYER *Com. über den Brief an die Epheser Einl.* pag. 18 et *Com. über den Colosser Brief Einl.* pag. 5.

² WIGGERS l. l. etiam addit. ἢ προσέρχεσθαι αὐτῶ de quibus verbis jam antea egimus.

ex hisce verbis non sequi nullum nisi apostoli cognatos eum adire potuisse, satis aperte tamen dicunt aditum ad apostolum non unicuique sine discrimine patuisse et imprimis non servo cuidam ignoto, qui tunc temporis ne Christianus quidem fuit. 2^o. E sectione 22^a hujus epistolae patet, Paulum liberationem e vinculis expectavisse, quod bene convenit cum dictis ex epistola ad Philippenses et cum ejus captivitate Romae. Ad hanc sententiam probandam attendere noluimus ad Pauli provocationem ad Imperatorem ¹, neque ad visionem nocturnam (act. XXIII: 11), quae argumenta non magnam habent vim; sed ad ea, quae Lucas nobis narrat de ejus captivitate Caesareënsi (act. XXIV: 26). Ex illo dicto MEYER et WIGGERS quidem efficere voluerunt ut, quia Felix eum bene tractavit, apostolus optime liberationem expectare potuerit ². Sed ex illo dicto me hoc efficere non potuisse, fateri debeo. Ex hoc enim dicto patet, Felicem sperasse fore ut Paulus ei pecuniam solveret, et haec erat causa (*διό*) quare Felix saepe cum eo colloqueretur. Paulum hoc bene perspexisse nemo facile negabit, eum pecuniam solvere noluisse eventus docuit. A tali igitur iudice pecuniae cupido, apostolus

¹ ANGER l. l.

² WIGGERS l. l. „Dass ihm aber . . . ein günstigeres und rascheres Ende seiner Caesarensischen Haft bevorstehe, dazu musste ihm während der ersten Zeit seines Aufenthaltes zu Caesarea die schonende Behandlung unter Festus Muth und Hoffnung machen.“ Sic etiam MEYER, *Epheserbrief Einl.* pag. 18.

justitiam expectare non potuit, neque Felix, quum vidisset apostolum illi pecuniae spei nequaquam satisfacturum esse talem virum liberare noluit, neque Apostolus ab eo libertatem expectare potuit.

Argumenta, quod Paulus tot amicos apud se habuerit, porro quod apostolus in epistola ad Philemonem sect. 15^a. scribat: ἐχωρίσθη πρὸς ὄραν, denique quod Paulus tam accurate Ecclesiarum conditionem noverit¹, quae adducuntur ad comprobendam sententiam, illam epistolam Caesareae esse compositam, non magni sunt momenti, ut ipse MEYERUS² concedit, quae igitur missa facimus.

Venimus ad argumentum, quod MEYERUS imprimis urget. Verosimilius secunda eum est, servum Colossis fugientem Caesaream petiisse quam Romam, quia sic iter maritimum facere debuit.

Sed me iudice, multo magis verosimile est, servum fugientem quam longissime abire, et quod ad iter maritimum attinet, navigatio inter Asiam et Romam satis frequens erat³. In magna illa urbe etiam Onesimus tutior esse potuit quam Caesareae⁴.

¹ De hisce argumentis jam satis superque disputarunt: WIESELER l. l., NEANDER l. l. et de argumento e sectione 15^a ducto imprimis HARLESS, *Commentar zum Epheserbrief*. WIGGERS l. l. pag. 444.

² *Der Brief an die Epheser Einl.* pag. 15, 16.

³ Cf. SCHOLTEN l. l. 233. WIESINGER, *Der Brief an Philemon Einl.* pag. 693.

⁴ Cf. hac de re NEANDER l. l. GUERICKE l. l. WIESELER l. l. 417. SCHRADER, l. l. I, pag. 212.

MEYERUS ad hanc sententiam nullo modo accedere potest, quum putet Pauli custodiam, quippe qui accusatus erat criminis tumultus, talem fuisse ut servus fugitivus facile ibi detegi potuerit¹. Vix autem probari potest Paulum Romae tanquam hominem, qui civitatem in periculum adduxisset, tractatum esse. Nam Festus (act. XXV : 25) ipse dicere debuit, Paulum nihil quidquam morte dignum patrasse; et Agrippa (act. XXVI : 31) eodem modo loquitur, imo quidem addit: Ἀπολελεύσθαι ἐδύνατο ὁ ἄνθρωπος οὕτως εἰ μὴ. κ. τ. λ. Quum igitur Paulus talia habuerit testimonia et ab Agrippa et a Festo edita (e quibus testimoniis fortasse explicari potest, quod fecit Julius act. XXVII : 3) ita ut statim, quum Romae esset, ei permitterent (act. XXVIII : 16) μένειν καθ' ἑαυτὸν, vix credibile est quod in medium protulit MEYERUS.

Accedimus ad aliud argumentum. Putant enim viri docti² patere ex epistola ad Ephesios, Paulum epistolam ad Philemonem Caesareae scripsisse. Hoc sic probare conantur. In epistola ad Colossenses Paulus Onesimi mentionem fecit (cap. IV : 9) non autem ita in epistola ad Ephesios; sin igitur Tychicus una cum Onesimo iter in Asiam inceperunt inde ab urbe Romae, primo loco Ephesum venire debebant, et revera mirum est Paulum hoc

¹ MEYER l. l. „da diese Polizei gewiss grade in der Hauptstadt in der Umgebung eines Staatsgefangenen am gefährlichsten war.“

² Cff. imprimis: MEYER l. l. et WIGGERS l. l. pag. 446 sqq.

scientem nullam Onesimi fecisse mentionem. Quum vero Tychicus cum Onesimo Caesareae a Paulo ad Colossenses et Ephesios missus est, tum sponte patet, quare apostolus in epistola ad Ephesios Onesimum non memoraverit, nam tum primo Colossas venire debuerunt, ubi Tychicus Onesimum reliquerit, et sic solus Tychicus Ephesum petiit.

Hoc argumentum tantum valere si illa epistola re vera ad Ephesios sit scripta, unusquisque statim animadvertit; multi autem sunt, qui hac de re dubitant¹, et quamdiu illa quaestio non sit soluta, mihi melius esse videtur, tale argumentum non producere, quod adversarius silentio praeterire potest, ut exempli gratia fecit WERTHIUS². Sed sit ita. Ponamus Paulum revera illam epistolam ad Ephesios scripsisse, etiam sic illud silentium explicari posse videtur.

Re vera mirum est Paulum nullum fratrem in hac

¹ De hac quaestione copiose agere, non est hujus loci, qui hac de re plura scire vult cf. praeter libros Isagogicos et Commentarios impr. NIERMAYER, *Verh. over de echtheid van den Brief van Paulus aan de Efesiërs*. RINCK, *Disput. ad authenticam Epist. P. ad Ephes. probandam*. HARTING, *Verh. over de echtheid etc.* DOEDES, *Jaarboeken VI*, pag. 799 sqq. DA COSTA, *Paulus II*, pag. 81 sqq. etc.

² *Einkl.* pag. 277: Der von WIGGERS in der Nichterwähnung des Onesimus im Epheser Brief und in Eph. VI:22 gefundene Grund Tychicus der Ueberbringer der drei Briefe, sei nicht von Rom, und somit wie natürlich über Ephesus, sondern von Caesarea aus auf dem Landwege nach Colossae gekommen, beruht auf seiner falschen Ansicht vom Epheser Brief.

epistola nomine salutasse, quum tamen sciamus eum ibi per triennium fere degisse. Quum tot ommissa sint, quae jure nostro expectare possemus, non mirari possumus Onesimum non memoratum esse.

Porro Onesimus apud Ephesios ignotus erat¹, et hoc ipsum, quod Tychicus cum illo mitteretur, satis illum Ephesiis commendare debuit. WIGGERS putat Paulum Onesimum nominatim commendare debuisse, propter humilem ejus conditionem. Utrum autem Christiani hujus temporis tali superbia essent elati, ut fratrem in CHRISTO, etiamsi servus esset, benigne excipere nollent, fortasse quis in dubium vocare jure suo potest; certissime, quod ad hujus epistolae lectores attinet, de iis aliam eamque melior emopinionem fovere licet, nam Paulus in illa epistola cap. I: 15 dixit: se audivisse *τὴν ἀγάπην τὴν εἰς πάντας τοὺς ἁγίους*. Etiam in epistola ad Colossenses nequaquam invenimus longam Onesimi commendationem, tantum obiter de eo loquitur apostolus cap. IV: 9 et hoc eo magis facere potuit, quia Onesimus ejusque crimen Colossensibus erat notum, et sic Paulus impedire voluit, quominus Onesimus, etiamsi exciperetur, quodammodo despiceretur vel exprobrationes audire deberet; porro etiam ut ecclesia, si forte Philemon haesitaret, eum adhortaretur ut benigne exciperet virum, quem Paulus in epistola vocave-

¹ Ex illis autem WIGGERS l. l. efficit ut Paulus eum commendare debuerit.

rat: πιστὸν καὶ ἀγαπητὸν ἀδελφόν (Col. IV: 9), quum apostolus ipse eum hisce verbis in numero fratrum referret. Hoc Ephesi non opus erat, quum Tychicus et Onesimus non tamdiu ibi morati sint, quia etiam Colossae iis adeundae erant, sed Colossis omnino opus erat, ubi Onesimus usque ad extremum vitae terminum manere posset.

Ex iis, quae Paulus scripsit in epistola ad Philemonem sect. 22^a: ἅμα δὲ καὶ ἐτοίμαζέ μοι ξενίαν, MEYERUS deducit, epistolam Caesareae esse compositam, quia Paulus hac ξενία brevi uti voluit¹ et post liberationem statim in Phrygiam abire; quum ex epistola ad Philippenses pateat, apostolum in Macedoniam se conferre voluisse, quod non convenit cum illis verbis in epistola ad Philemonem. Quod autem bene quadrat, secundum MEYERUM, si Caesareae captivus erat. Nusquam autem in epistola ad Philippenses legimus, Paulum primo loco Philippos adire in animo habuisse, nec video, quare apostolus Romae captivus ad Philemonem scribere non potuerit: ἐτοίμαζέ μοι ξενίαν; facile enim ex urbe Romae se in Asiam Minorem conferre potuit. Tum etiam hoc consilium non idcirco cum Philemone communicat, quia Colossae a Caesarea prope aberant, sed multo magis ut hoc ipso promisso Philemoni suaderet Onesimum benigne excipere.

¹ Nihil autem legimus in epistola „von einem baldigen Gebrauche“ uti MEYERUS vult.

WIGGERS¹ putat ex epistolae ad Ephesios cap. VI: 22 patere, Tychicum non necessitate coactum Ephesum adire debuisse, sed illum ab apostolo ad illam urbem missum esse. Hoc autem argumentum jam satis superque refutavit MEYERUS² ita ut hîc omitti possit.

Denique traditio historica sententiae, hanc epistolam Romae esse conscriptam, favet. Optime scio hoc per se spectatum non tantum valere;³ vel sic tamen mihi satis temere agere videntur ii, qui prorsus testimonium traditionis rejiciant, quando nullum adduci potest argumentum, quo illud testimonium infringatur, et quamquam concedere volo, non luculenter ex ipsa epistola apparere, illam Romae esse scriptam, multo minus autem ex epistola probari potest, illam Caesareae esse compositam. Praeterea quum omnia dubia, quae contra antiquam traditionem moventur, solvi possunt, eo tutius in ea aequiescere possumus.

Jam videamus quomodo Paulus Romae captivus in hac quoque epistola spem suae liberationis cum Philemone communicaverit.

Sectione 22^a legimus: "Αμα δὲ καὶ ἐτοίμαζέ μοι ξενίαν ἐλπίζω γὰρ ὅτι διὰ τῶν προσευχῶν

¹ l. l. pag. 448.

² l. l. pag. 17.

³ Cf. REUSS, *Gesch. der H. Schr. N. T.* pag. 98: Die herkömmliche Ansicht beruht doch auch wesentlich nur auf der alten Ueberlieferung, welche für die Geschichte nicht mehr Werth haben kann als hundert andre gleicher Art."

ὑμῶν χαρισθήσομαι ὑμῖν. Paucis nobis opus est verbis. Statim patet, illud dictum eodem fere redire ac dictum in epistola ad Philippenses cap. II: 24, quod jam antea interpretati sumus, quam ob rem plura de hoc dicto addere tuto negligimus.

§ 1.

Conclusio e dictis in epistola a nobis tractatis.

Quamquam vidimus nonnulla Pauli effata, liberationis spem continentia, fere certam exspectationem prae se ferre, inde tamen minime sequitur, Paulum hanc spem fovisse, edoctum divina patefactione. Sic facile fieri potuit, ut Paulus hac sua spe exciderit, si divinae sapientiae aliter visum fuerit. Econtra certi quid eo tutius inde effici potest, quod ad ejus conditionem in captivitate attinet.

E dictis supra tractatis bene patet, eum satis tolerabili conditione gavisum fuisse. Quomodo enim apostolus, qui, quum tantum suum ipsius commodum curare vellet, dicere debet: τὴν ἐπιθυμίαν ἔχω εἰς τὸ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι πολλῶν γὰρ μᾶλλον κρείσσον (Phil. I: 23), quomodo ille, inquam, talibus verbis spem suam liberationis expressisset, nisi suspicatus esset e fausta conditione ex Dei voluntate se liberatum iri? Non sic autem de sua liberatione apostolus loquitur, quasi negaret aequè fieri posse ut moreretur, sed spes libe-

rationis mortis expectatione praevaluit. Sic in epistola ad Philippenses cap. II: 17 tantum ponit ($\epsilon\lambda\chi\alpha\iota$) se moriturum; sed sic agit, "ut lectores scirent se gavisurum esse, etiamsi spes liberationis non expleretur. Ceterum urgere nolumus, quod in epistola ad Philemonem nihil moneat de sua morte, nam obiter tantum hanc rem ibi tangit, et eam quidem ob causam, ut hoc promisso Philemoni magis suaderet, ut benigne secundum Pauli voluntatem, Onesimum exciperet, ¹ uti jam antea monuimus. E conditionibus igitur apostolus ipse, se liberatum iri, coniecit; spei frustratio foret si moreretur. ² Illis igitur scriptoribus calculum nostrum adjicere non possumus, qui ex illis dictis efficere velint, expectationes apostoli non tam laetas fuisse eumque martyrium certe instans ob oculos habuisse.

¹ Cf. etiam MEYERUS ad l.; WIESINGER ad l. alii.

² Optime hoc exprimis HUG, *Einl.* dicens: „Ist est mein Schicksal zu sterben, so freue ich mich; doch heitern sich täglich die Aussichten zur Befreiung auf.“ Et NEANDER l. l.: „doch war die Erwartung der Befreiung aus der Gefangenschaft bei ihm überwiegend.“

PARS SECUNDA.

DE EPISTOLIS PASTORALIBUS.

CAPUT I.

De priore ad Timotheum Epistola.

Minime nos latere, quam acerrima pugna, nostris diebus, agatur de epistolarum Pastoralium authenticitate, jam ex iis patet, quae huic dissertationi praefati sumus. Hic autem e nostro consilio quaestio est tractanda, quando apostolus has epistolas scripserit. Initium igitur faciamus a priore Pauli ad Timotheum epistola. Nobis de tempore, quo Paulus priorem illam ad Timotheum epistolam scripserit, agentibus, ante omnia attendendum est ad illos locos, in quibus auctor hac de re aliquid dicit, et sic imprimis in censum veniunt loci hujus epistolae cap. I: 3, III: 14, IV: 13. Primo loco de sectione 3^a. capitis primi.

Id statim unusquisque animadvertit illam sectionem ἀπόδοσι carere, quae responderet vocabulo

καθώς. Diversi diverse hac de re egerunt¹, sed hodierno tempore plerique viri docti in hoc conveniunt, hoc loco esse supplendum: οὕτως καὶ νῦν παρακαλῶ σε, quibuscum optime facere possumus. Tum etiam fere omnes in hoc conveniunt, apostolum hanc epistolam in Macedonia scripsisse, (quod autem non totidem verbis in epistola legitur), quum Timotheus Ephesi mansisset, ubi aliquamdiu una cum apostolo fuisset². Progrediamur igitur ad sectionem 14^{am} cap. III ubi legimus: ταῦτα σοι γράφω, ἐλπίζων ἐλθεῖν πρὸς σε τάχιον. Ea optime sic reddere possumus: quamquam spero fore ut ad te veniam, tamen tibi haec³ scribo, quia etiam fieri potest ut morer, et tum per hanc epistolam edoctus, scribere potes, πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι. Vocabula ἐλπίζων ἐλθεῖν κ. τ. λ. multi vertunt: „sperans fore ut brevi ad te veni-

¹ Nonnulli sic agere voluerunt, ut sectiones 5—18 in parenthesi legerentur, quod autem variis argumentis ducti, probare non possumus. Primo enim loco πρότασις sic nimis ab ἀπόδοσι sejungeretur, et porro ne tum quidem difficultas tolleretur, nam in sectione 18^a nullum invenitur vocabulum, quod responderet vocabulo καθὼς in sectione 3^a; vocabulum quidem καθὼς sequi debet οὕτως, quod autem nonnumquam omittitur e. c. Marc. XV: 8.

² Sic WIESELER l. l. CURTIUS de tempore quo 1^a Ep. ad Tim. exarata sit. DE WETTE l. l. GUERICKE l. l. SCHOLTEN l. l. PALEY, Horae Paulinae. HUTHER, Com. Einl. WIESINGER l. l. alii.

³ ταῦτα spectare ad praecepta, quae apostolus inde a Cap. II dederat, contextus satis superque docere videtur.

am," *τάχιον* tanquam *τάχως* vertentes¹. Sed *τάχιον* est comparativus, qui saepe ponitur quamquam id omittitur, quocum comparatur², et tum e contextu illa, quae sunt omissa, supplenda sunt, et si ad contextum attendimus, iis viris doctis assentior, qui addunt: „antequam tibi his praeceptis opus erit³," sic optime cohaeret cum sequentibus: *ἐὰν δὲ βραδύνω κ. τ. λ.*

E cap. IV: 13 autem sequitur, Paulum velle Timotheum Ephesi manere, donec ipse ibi veniret.

Hoc igitur e locis a nobis interpretatis sequitur. Paulus Ephesi Timotheum reliquit, quum ipse in Macedoniam abiret, ibi fortasse hanc epistolam scripsit, quum ipse jam speraret fore ut Ephesi reverteret, antequam praeceptis datis Timotheo opus esset.

Nunc autem quaestio oritur, quando apostolus hanc suam epistolam scripserit. Varie hac de re disputarunt viri docti. Paulus, ut patet ex Actibus Apostolorum, bis Ephesi fuit ante ipsius captivitatem, et quidem primo loco secundum Act. XVIII: 19 quum Hierosolyma adiret; secundo loco, quum secundum Act. cap. XIX: 1 *τὰ ἀνωτερικὰ μέρη* peragrasset, et tum ibi per longum temporis spatium mansit. Si quaerimus de sententiis viro-

¹ Sic CALVINUS ad l. SCHRADER I. I. tom. V: ad l. HEYDENREICH ad l.

² Cf. WINER l. l. § 35 pag. 216 sqq.

³ Sic WINER l. l. DE WETTE ad l. — MEYER ad l. supplet: „bälder als zu erwarten steht," quod minus apte quadrat.

rum doctorum, primo invenimus CALVINI sententiam, qui re vera statuit, Paulum hanc epistolam scripsisse, quum secundum Act. XVIII: 19 Epheso profectus, Galatiam et Phrygiam peragraret¹.

Ac sane Paulus secundum Act. XVIII: 21 ad Ephesios reverti voluit, uti etiam dicit in epistola ad Timotheum III: 14, IV: 13, et re vera promissum illud, si sententia CALVINI vera sit, implevit secundum Act. XIX: 1. Hucusque igitur omnia bene convenire videntur, cum iis, quae in epistola ad Timotheum narrantur. Sed multa huic CALVINI sententiae obstant.

1°. Tempore, quo CALVINUS hanc epistolam a Paulo scriptam esse putat, non in Macedoniam est profectus, sed primo Hierosolyma, deinde in Phrygiam et Galatiam, quum tamen, ut vidimus in epistola ad Timotheum, in Macedoniam profectus sit (1 Tim. I: 3).

2°. Tunc temporis Ephesi nondum fuit coetus Christianus stricte sic dictus, quum ex epistola ad Timotheum satis superque pateat, eo tempore talem coetum ibi fuisse.

3°. Ex epistola ad Timotheum sequitur, Paulum Epheso profectum, ibi reliquisse Timotheum (1 Tim. I: 3) et secundum Act. XVIII: 18, 26. Aquilam et Priscillam Ephesi reliquit, qui fratribus Ephesinis praefuisse videntur, quum tamen ex epistola

¹ CALVINI *Com. in I Tim. III: 14*.... ut venisse probabile est, si hanc epistolam scripsit quo tempore Phrygiam peragrabat.

ad Timotheum multo magis suspicari liceat, re vera Timotheum principem locum tenuisse. Quae cuncta, quominus cum CALVINO faciamus, prohibent.

Accedimus ad periodum, qua multi viri docti hodie putant Paulum hanc epistolam scripsisse; nempe Act. XIX:1 sqq.¹, sed quia hi non semper consentiunt, illas sententias singulatim tractabimus.

Primo loco in censum venit sententia MOSHEMII,² qui statuit, Paulum hanc epistolam scripsisse, paullo postquam Ephesum venerat. Postquam enim per tres menses in synagoga docuerat, apostolus in Macedoniam abiit, ubi per novem menses manserit. Sic putat MOSHEMIUS bene posse explicari, quomodo apostolus Timotheum attentum reddiderit ad falsos doctores, qui per hoc temporis spatium bene surgere potuerunt. Multa autem etiam huic obstant.

1°. Satis difficile probatu est, apostolum per novem menses Ephesum reliquisse.

2°. MOSHEMIUS statuit, ecclesiam Ephesinam in epistola tanquam nuper conditam occurrere. Sed hoc ei minime concedere possumus, nam si attendimus ad locos cap. III:1 sqq. et imprimis cap. V:9 bene patet apostolum sic agere non potuisse in ecclesia nuper condita.

3°. Incredibile est falsos doctores tunc temporis

¹ Sic imprimis MOSHEIM, SCHRADER, WIESELER, REUSS, SCHAFF alii.

² Cf. ejus Erklärung der beiden Briefe an den Timotheus.

in ecclesia Ephesina jam viguisse. Nam etiamsi probare MOSHEMIUS potuerit, apostolum per novem menses abiisse, tamen assentiri nobis debet, ex loco cap. I: 3 aliisque, satis superque patere, falsos doctores jam exstitisse eo tempore, quo Paulus urbem reliquerit.

Quum igitur neque illa convenient cum iis, quae in Epistola ad Timotheum occurrunt, etiam hanc sententiam rejicere debemus.

Rursus alio modo egit SCHRADERUS. Ille enim putat Lucam multa omisisse in Act. cap. XIX: 20. Quem si audis, addi debet iter Pauli in Macedoniam, Corinthum, in Cretam, Nicopolin, Hierosolyma, Antiochiam et inde Ephesum¹. Illud iter Paulus facere coepit tempore paschali anni 54ⁱ. Tunc abiit in Macedoniam, ubi per sex menses remansit, tunc Corinthum profectus, abiit in Cretam, ibi degit usque ad tempus aestivum. E Creta profectus Nicopolin in Cilicia venit, ubi commoratus est² usque ad initium anni 56ⁱ. Inde Hierosolyma petiit, porro Antiochiam³, et inde fortasse iter terrestre fecit per Galatiam, et quam citissime Ephesum reversus est, ubi venit tempore paschali anni 56ⁱ et ibi mansit usque ad autumnum.

Ex iis patet Paulum secundum SCHRADERUM visi-

¹ SCHRADER, *Der Apostel Paulus*, Tom I, pag. 86.

² l. l. pag. 102 sqq.

³ l. l. pag. 120.

⁴ l. l. pag. 125.

tasse omnes regiones et urbes, ubi antea jam Evangelium annuntiaverat. Sed quis non videt fere esse incredibile, Lucam in suo libro omisisse iter, quod tale temporis spatium flagitabat, et per quod omnes ab eo antea conditas ecclesias visitasset apostolus¹. Ad suam sententiam commendandam SCHRADERUS attendit imprimis ad locum Act. XIX: 21: ὡς δὲ ἐπληρώθη ταῦτα², ubi ταῦτα secundum SCHRADERUM non referri debet ad praecedentia, sed ad omnia, quae Paulus huc usque, quamdiu apostolus fuisset, fecerat, ita ut Lucas hisce verbis denotare voluisset, Paulum, postquam rursus Macedoniam et Achajam visitaverat, Hierosolyma petere voluisse, et regionibus, ad hunc usque diem peragratis, valedicere voluisse, ut Romam proficiscens, veluti aliam et prorsus novam muneris sui scenam quaereret.

Cur SCHRADERUS voci ταῦτα talem significationem tam late patentem tribui voluerit, quisque videt; admodum tamen vereor ut unus afferri possit locus, ubi ταῦτα contineat non tantum quae auctor antea narraverat, sed etiam quae omiserat.³

¹ Hoc revera vix vel ne vix quidem credibile videtur, quamquam sententiam Wurmii (*Tüb. Zeitschr.* 1833 1^{ste} Hft. pag. 71) qua statuit, provocans ad Act. XVI, 10—12 et 20, Lucam in ipsa Macedonia degisse, haud omni dubio majorem esse, concedimus.

² l. l. pag. 86.

³ Et etiamsi ταῦτα ad omnia, quae Paulus antea perfecerat, referri deberet, tamen nondum sequitur, ut recte monuit WURMIUS l. l., hoc loco Lucam in narratione multa omisisse.

Argumenta, quae SCHRADERUS ad suam sententiam comprobendam affert ex epistolis ad Thesalonicensis, non exponemus neque refutabimus¹. Idem statuit e verbis 1 Tim. III:14: ἐλπίζων εἰσελθεῖν πρὸς σε τάχιον, patere Paulum jam dudum a Timotheo esse sejunctum, quum tandem consilium cepisset ei epistolam scribendi. Hoc autem ex illis vocibus efficere non potui².

Caetera argumenta SCHRADERI, quorum multa parum valent, missa facimus, et quia illa jam satis ab aliis refutata sunt, et quia accurata refutatio diutius nos teneret. Quod attinet ad ejus argumenta, nitentia altero Pauli Corinthum itinere ante epistolas ad Corinthios compositas, haec dijudicare volumus si WIESELERI aliorumque, qui cum eo faciunt, sententiam exponimus; in hac enim annotatione tantum tractamus, quae SCHRADERI sententiae sunt peculiaris³, de iis, quibus cum aliis interpretibus consentit, postea agemus. Ceterum autem animadvertendum, SCHRADERUM, hanc epistolam hoc loco inserentem, effugere multa, quae contra MOS-

¹ Ea eo magis omittere possumus, quia ex omnium fere consensu bene patet eas epistolas ante caeteras esse compositas. Cff. NEANDER l. l. SCHOTT, DE WETTE, GUERICKE, SCHOLTEN, WIESELER, alii.

² Paulus enim non scribit quia jam diu a Timotheo sejunctus est, sed ut ipse dicit: εἰν δὲ βραδύνα, ἵνα εἰδῆς πῶς θεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφουσαι, igitur quia fieri potest ut moretur diutius quam putat, eam ob causam, ex prudentia igitur, scribit.

³ Hoc etiam valet de iis, quorum sententiae infra exponuntur.

HEMI sententiam afferri possunt. Paulus scilicet nunc jam per duos annos Ephesi fuerat, et ita bene intelligi potest, esse jam coetum ordinatum, esse quoque falsos doctores; sed quum ab altera parte, tot difficultatibus sententia prematur, eam rejicere debemus.

Pergentes, occurrit nobis sententia WIESELERI, SCHAFFII, REUSSII, qui etiam statuunt priorem ad Timotheum epistolam a Paulo esse compositam quo tempore Lucas narrat (Act. XIX.) apostolum Ephesi fuisse, tamen, quod ad hujus sententiae comprobationem attinet, a SCHRADERO valde differunt.

WIESELERUS et SCHAFFIUS inter se bene conveniunt ponentes iter Pauli in Macedoniam locum habuisse, quum per triennium apostolus Ephesi degeret, et quidem in fine, quum secunda vice (sec. 2 Cor. XII: 13, 14. XIII: 1) Corinthum adiret.¹ Hoc altero ad Corinthios itinere, tunc temporis peracto, haec sententia plane nititur; igitur hanc sententiam imprimis oppugnare debemus.

Concedamus Paulum jam ante 1^{rem} epistolam ad Corinthios scriptam, bis Corinthi fuisse. Tunc autem quaestio oritur utrum illud iter locum habere potuerit in fine ejus commorationis in urbe Ephesi. Hoc autem vehementer dubitamus.

Nimirum ex hac sententia sequitur apostolum, paulo antequam priorem epistolam ad Corinthios

¹ Cf. SCHAFF l. l. pag. 351. WIESELER l. l. pag. 313 et etiam, ut vidimus, SCHRADER hanc sententiam defendit.

scripsit, ipsum Corinthi fuisse ¹. Sic autem vix intelligi potest, quomodo apostolus in hac epistola cap. I:11 ita loqui possit: *ἐδηλώθη γάρ μοι περὶ ὑμῶν, ἄδελφοί μου, ὑπὸ τῶν Χλόης, ὅτι ἔριδες ἐν ὑμῖν εἰσί*; sin vero Paulus paullo ante Corinthi fuisset, ipse hisce de rebus audire potuerat; nam illae turbæ, quales in hac epistola cap. I:12. cap. V. enumerentur, non, ut ita dicam, uno die existunt. Porro non liquet quomodo apostolus, cap. IV:18; dicere possit: *ὡς μὴ ἐρχομένου δέ μου πρὸς ὑμᾶς ἐφυσιώθησάν τινες*. Ex iis enim patere videtur, Paulum jam dudum Corintho fuisse profectum, nam aliter adversarii sic loqui non potuerant; vix enim exspectare potuerunt, Paulum Ephesum profectum, statim Corinthum reversurum esse. E verbis citatis sequi videtur, illos homines putasse, apostolum metu fuisse affectum, et sic bene intelligi potest, quomodo Paulus in altera ad Corinthios epistola scribere potuerit, cap. I:23: *ἐγὼ δὲ μάρτυρα τὸν θεὸν ἐπικαλοῦμαι ἐπὶ τῇ ἐμῇ ψυχῇ, ὅτι Φειδόμενος ὑμῶν οὐκέτι ἦλθον εἰς Κόρινθον*. Sic tantum etiam Pauli praeceptum bene explicari potest, quod Corinthios jubet stitem facere; hoc enim praeceptum ipse revera dedisset si nuperrime Corinthi fuisset ².

¹ WIESLER et SCHAFF enim assentiuntur priorem epistolam ad Corinthios paullo ante ejus discessum ex urbe Ephesi, esse compositam.

² Neque in concordiam redigi possunt, quae apostolus scripsit

REUSSII etiam statuit Paulum hoc iter Corinthum fecisse, quum per triennium Ephesi degerit, attamen alio modo sibi hoc iter fingit. Putat enim ille¹ apostolum non Epheso in Macedoniam, sed primo loco in Cretam, tum Corinthum et Nicopolin denique in Macedoniam, profectum esse. Priorem ad Timotheum epistolam Paulus scripsit, quum Corintho abiturus esset, vel jam Nicopoli venisset. Ut hanc sententiam in concordiam redigat cum iis, quae leguntur in I Epist. ad Tim. cap. I:3. sic disputat, ut demonstret nunc (nempe quum Corintho abiturus esset, vel jam Nicopoli venisset) itineris finem Paulo Macedoniam esse et quamquam non primo loco in Macedoniam abiit, tamen eam ob causam apostolus scribere potuit: *καθὼς παρεκάλεσά σε προσμείναι ἐν Ἐφέσῳ πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν*² I Tim. I:3.

Quod ad illud Pauli iter Epheso Corinthum attinet, jam supra vidimus illud iter tunc temporis locum habere non potuisse. Porro si attendimus ad REUSSII sententiam, statim unusquisque videre

de falsis doctoribus in priore epistola ad Timotheum, cum iis, quae hac de re occurrunt in Act. cap. XX:29 etc. Hoc quidem multi vehementer negant (WIESELER, SCHOTT, CURTIUS) sed de hac quaestione copiosius agemus, quum nostram sententiam defendimus.

¹ *Revue de théologie*, Vol. II, pag. 155.

² l. l. pag. 155. Pour le moment, tout son voyage quoique dirigé d'abord en sens opposé, se présente à son esprit comme un voyage en Macedoine, car c'est bien là le but, qui reste à atteindre.

potest, hanc explicationem satis esse contortam;¹ quam ob causam cum REUSSIO facere non possumus.

Vidimus sententiam eorum, qui statuunt, Paulum priorem ad Timotheum epistolam scripsisse secundum act. cap. XIX., rejiciendam esse. Aliorum conatus considerare volumus, qui putant hanc epistolam conscriptam esse, postquam Paulus per tres fere annos Ephesi degerat, et tum secundum act. cap. XX: 1, in Macedoniam ire vellet².

Secundum act. cap. XIX: 22. Paulus Timotheum et Erastum in Macedoniam misit et e 1^{re} epistola ad Corinthios cap. IV: 17; XVI: 10. patet, Timotheum etiam Corinthum adire debuisse, quandoquidem ex epistola ad Timotheum sequitur, Paulum cum Timotheo Ephesi fuisse antequam apostolus in Macedoniam abiret³. Revera Paulus Timothei reditum ante Pentecostes festum expectavit, sec. I Cor. XVI: 8, 11, et quaestio oritur utrum revera Timo-

¹ Nam etiamsi concedatur, Paulum hanc epistolam Nicopoli scripsisse, tamen si in memoriam revocat apostolus discessum ex urbe Ephesi, tum non ultimum locum, quem adire vellet, indicavisset, sed potius primum locum, et hinc imprimis Paulus ita scripsisset, quum in regiones abiret, quas nondum visitaverat. Ceterum si sic agere volumus, tunc fere omnia probare possumus, sed tales conjecturae auctorem in re desperata defendenda versari satis produnt.

² Hinc sententiae imprimis addicti sunt: HUG, CURTIUS, HEMSEN, MICHAËLIS, SÜSSKIND, ANGER et multi alii, quos affert WIESELER l. l. Hic tantum de iis, qui copiose de hac quaestione scripserunt, agere volumus.

³ Cff. quae supra disputavimus, pag 24..

theus Ephesi reversus ibi apostolum invenerit. Et sane, si apostolum dicentem audimus, se exspectare Timotheum, sequitur eum illud iter ante tempus definitum perficere potuisse. Quum igitur nullo modo assentiri possimus iis, qui putant apostolum propter tumultum Ephesinum citius illam urbem reliquisse,¹ bene statui potest Timotheum ante Pauli Epheso discessum eo reversum esse.² Huc usque igitur ea omnia bene cum iis, quae in epistola ad Timotheum leguntur conveniunt. Hoc autem obstat, quod probari nequit apostolum tunc temporis Timotheum Ephesi reliquisse, ut statuit imprimis CURTIUS, cujus sententiam primo loco referre ac dijudicare liceat.

Ad hanc suam sententiam comprobendam hanc viam iniit CURTIUS.³ Putat Paulum in altera ad Corinthios epistola cap. VII: 6 sqq. describere conditionem ecclesiae Macedonicae. Paulus aegrotavit, gravissimo ecclesiae defendendae et componendae munere fungi debuit. Titi autem adventus multum valuit ad *ἑλπίην* apostoli mitigandam. Sin

¹ Sic HUG, GUERICKE, HEYDENREICH, BÖHL, BERTHOLDT, SCHOTT contra quos infra nostram sententiam defendere conabimur.

² Cf. WIESELER, CURTIUS, HEMSEN alii.

³ l. l. pag. 58 sqq. Copiose egit hic scriptor de priore ad Tim. epistola, quare in textu imprimis nonnulla argumenta ab ipso allata commemorare ac uno verbo rejicienda esse, indicare volumus, et ob causam, in introductione jam enuntiatam, nostra argumenta contra ipsius sententiam afferenda in annotationibus exponere, volumus.

autem Timotheum secum Philippos duxisset, nullam habuisset causam, cur Titi adventum tantopere praedicaret¹. Hoc argumentum minus valet, quia contorta et longius quaesita nititur interpretatione.

¹ E verbis οὐδεμίαν ἔσχικεν ἕνεσιν ἢ σάρξ ἡμῶν 2 Cor. VII: 5 non sequitur Paulum tunc temporis aegrotasse, sed apostolus tantum dicit se in Macedoniam venientem, nullam habuisse requiem, et quidem eam ab causam, quia ab omni parte premebatur. Non enim opus est, ut hoc loco vocabulum θλιβόμενος tantum intelligamus *de externa conturbatione*; nam apostolus hoc vocabulum ipse in sequentibus explicat: ἔξωθεν μάχαι, ἔσωθεν φόβοι, et etiam in altera epist. ad Cor. II: 4 θλίψις internam significat conturbationem. Vocabula autem „ἔσωθεν φόβοι” CURTIUS sic intelligit ac si Macedones timore essent affecti, quia persecutioni obnoxii erant. Hanc autem explicationem longius esse quaesitam, unusquisque facile videt. Multo simplicior explicatio est, Paulum per vocabula „ἔξωθεν μάχαι” indicare voluisse adversarios, qui eum omni modo vexabant, et per vocabula „ἔσωθεν φόβοι” imprimis animi inquietudinem et quia Titum non inveniebat (cap. II: 12) et quia nihil quidquam de ecclesiae corinthiacae conditione audiebat. Haec explicatio multo melius quadrat in contextum. Apostolus enim cap. II: 12 scripserat, se magno dolore esse affectum, quum Titum Troade non videret. Metu erat affectus, et quia Tito aliquid accidere potuisset, et quia nesciret, cujus animi Corinthii essent, postquam apostoli epistolam legissent. Pergit apostolus in Macedoniam, quod autem vix fecisset, si morbo affectus fuisset. In Macedonia revera Titum invenit, et illius adventus eum jam consolatur (cap. VII: 12) et quia Titus salvus erat, et quia bonos etiam accepit nuntios, nam apostoli epist. optatum in Corinthios habuerat effectum (cap. VII sqq.). Sic omnia optime cohaerent, etiamsi ponamus apostolum Timotheum secum duxisse, et facile sic intelligitur quare Titi adventum tantopere cuperet. Sic etiam explicatur, quare apostolus cap. II: 12 et cap. VII: nullam Timothei mentionem fecerit. Timotheus enim illos φόβους tollere non potuit, et quod attinet ad μάχας, de iis apostolus non amplius egit.

Neque id valet, quod monuit CURTIUS, nitens verbis 1^{re} Epist. ad Corinthios cap. XVI; Paulum conditione ecclesiarum Macedonicarum commotum, primo in Macedoniam abiisse. Hoc enim fecit ut stipem conferret, et in hoc capite nihil quidquam narrat de Φόβοις Macedonum, et tantum Macedoniam διέρχασθαι voluit. Jam vero quia Timotheum commemoratum invenimus (2 Cor. I: 1) multo verosimilius videtur, Paulum eum secum duxisse, neque tam facile explicatur, quomodo Timotheus tam cito munus gravissimum reliquerit, quum apostolus eum jussisset Ephesi manere secundum I^{cm} ad Tim. cap. III: 14. IV: 13. Ad ultimum hoc argumentum refutandum, CURTIUS statuit et probare conatur, ipsum Paulum Timotheum a munere, quo Ephesi functus erat, revocasse.

CURTHI argumenta ad hanc sententiam probandam haec sunt:¹

¹ Jam inde ab initio CURTIUS confitetur argumenta fundamento historico carere et mera conjectura niti (l. l. pag. 63); sed primo loco probare conatur facile explicatu esse, neque Lucam neque Paulum de Timothei revocatione aliquid monuisse. Jure suo dicit nos hac de re nihil apud Lucam in Act. expectare posse, quippe qui tantum una sectione hoc in Macedoniam iter commemorat. Sed valde mirum est, nihil prorsus hac de re inveniri in altera ad Cor. epistola. Dicit quidem CURTIUS fieri potuisse, ut Corinthii de rebus Timothei certiores sint redditi vel per Timotheum ipsum, vel per fratres e vicina Macedonia proficiscentes. Sed hoc etiam non magis est quam mera conjectura, et sic conjecturae incredibili modo cumulantur. Neque verosimile est, Paulum, quum cum Corinthiis communicat solatium, quod ei attulit Titus (II

1°. Ut Timotheus „Paulo nunc stipem exigenti auxilium ferret.”

Hoc autem munus non tam grave erat, ut Paulus Timotheum revocasset, quem Ephesi reliquerat *ἵνα παραγγείλῃ τισὶ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν* (1 Tim. I:3). Et etiamsi Paulus paucos tantum habuerit socios, tamen ad hoc munus perficiendum homine christiano in Macedonia optime uti potuit, et non video quare „nullus eorum Timothei, prae caeteris apostolo ob virtutem gratissimi, partes sustinere potuisset,” quum tamen Macedones talem liberalitatem manifestarent ¹.

2°. CURTIUS putat Paulum ob miseram ecclesiae Macedonicae conditionem revocasse Timotheum ².

Sed 1°. jam supra vidimus conditionem ecclesiae non talem fuisse, qualem CURTIUS descripsit. Sed etiamsi ita fuerit, non sequitur apostolum eam ob causam Timotheum a gravi munere revocasse, quo Ephesi fungebatur; et hoc argumentum eo magis contra CURTIUM valet, quia cum aliis sta-

Cor. VII:16 sqq.) nihil de solatio vel auxilio addidisse, quod Timotheus ei attulerat, si ponamus Paulum eum revocasse ut „eo praesente uteretur suorum consiliorum ministro et adiutore.”

¹ Timotheum Paulo fuisse gratissimum nemo facile negabit, sed vix probari potest, Paulum ut ipse majore gaudio frueretur, aliquid fecisse, quod nocere potuerit rebus Christianis, et eo minus hoc statuere possumus, quoniam legimus, Macedones apostoli animum magno gaudio implevisse, quia *κατὰ δύναμιν καὶ παρὰ δύναμιν αἰθαίρετοι* fuerant.

² l. l. pag. 65.

tuit, eo tempore Ephesi jam falsos doctores fuisse¹.
 2°. Apostolus expectare potuit Titum mox esse venturum, et apostolus narrat, se Titum non invenientem, statim in Macedoniam esse profectum, sed nihil quidquam monet, se, quia Titum non invenit, Timotheum revocasse.

3°. CURTIUS statuit² „Paulum cupivisse ut in ecclesiis Achaëcis confirmandis, quibus parvum modo tempus insumere posset (act. cap. XX: 3) a Timotheo adjuvaretur, et quum una cum Timotheo Corinthum adire vellet, jam in Macedonia cum eo congregaretur.”

Paulus autem jam antequam Epheso proficisceretur, scire potuit „se parvum modo tempus insumere posse in ecclesiis Achaëcis confirmandis;” hoc igitur argumentum magis nostrae sententiae faveret, Paulum statim Timotheum secum duxisse. Denique contra hanc opinionem imprimis valet, quod in medium protulit SCHOTTUS,³ sic loquens: „neque doceri probabiliter possit, quare apostolus consilium suum repente mutaverit, neque breviori temporis spatio illa omnia, quae, hac sententia probata, accidisse putantur, priusquam 2^a ad Cor. epist. scriberetur (iter Pauli Macedonicum, consignationem epist. 1^{ris} ad Tim. datae, mandata nova, quibus apostolus Timotheum reverti jusserit, ip-

¹ l. l. pag. 66 sqq.

² l. l. pag. 65.

³ l. l. pag. 297.

sumque illius reditum) complecti commode liceat¹. Vidimus nullam probabilem adduci posse causam, quare Paulus Timotheum Epheso revocasset, statuere igitur licet, Timotheum una cum Paulo Epheso esse profectum, tum autem apostolus scribere non potuit: ἕως ἔρχομαι, τῇ ἀναγνώσει, τῇ παρακλήσει, τῇ δεδασκαλίᾳ πρόσσεχε. (I Tim. IV : 13.)

Neque probari potest, Paulum tunc in animo habuisse Ephesum redire, ut vidimus eum voluisse secundum I Tim. III : 14.² Consideremus conatus, hoc dictum e I Tim. III : 15 citatum, in concordiam redigendi cum iis, quae narrantur de Pauli consilio act. XIX : 21 sqq. Ex eo enim loco patet Paulum nullo modo hoc in animo habuisse ; sed, postquam Macedoniam et Achaïam peragrasset, statim Hierosolyma adire voluit. Hoc etiam sequitur ex iis, quae leguntur in epistola ad Romanos cap. XV : 35 et sec. act. XX : 16 Paulus Ephesum praeternavigat.

CURTIVS autem rursus conjecturae ope³ probare conatur „Paulum quum anno LIX, relicta Epheso, Macedoniam petens, epistolam scriberet, Ephesum

¹ „Quid multa?“ ait CURTIUS, „ubi tot et tam faciles conjecturae adhiberi possunt, ibi jam unam earum, quaecunque sit, accipere et pro vero habere, non dubitamus.“ Revera multas in medium protulit conjecturas CURTIUS, sed quum omnia sine tot conjecturarum ope bene explicari possint, fortasse melius fecisset si ab omni conjectura abstinuisset.

² Conferantur, quae hac de re supra disputavimus, p. 24.

³ I. l. pag. 72.

rursus adire in animo habuisse.”¹ Scriptor hoc derivat ex priore apostoli itinere in Syriam, quum Ephesum adiit.

Sed quia apostolus hoc semel fecit, eum hoc semper fecisse non sequitur. „Sed”, ait CURTIUS, „vix dubitari potest, an Paulus Philippis navi abiens, Ephesum, carissimam ecclesiam adire voluerit.” — Cum pace tamen viri docti nobis dubitare liceat. Nam bene intelligi potest, quomodo apostolus, qui paullo ante per tres fere annos Ephesi degerat, nunc Ephesum adire noluerit, sed potius tempus, quo uti potuit, consumere voluerit in aliis Asiae ecclesiis visitandis, quas per longum temporis spatium non viderat.

CURTIUS autem e Lucae narratione (act. XX:16) efficere vult, apostolum antea consilium Ephesum redeundi habuisse.

E dictis in priore ad Corinth. cap. XVI:3, 4. act. XIX:21. Rom. XV:23, 25. patet Paulum minime hoc consilium habuisse. Porro e dicto „ἐκρινε παραπλεῦσαι” non sequitur Paulum tunc suum consilium mutasse; hoc enim consilium inde ab initio habere potuit, et Lucas hoc addere videtur, quia quis mirari potuit, quare apostolus, Trogillii moratus, non potius Ephesum adierit, quum ex sequentibus pateat eum nonnulla, eaque magni momenti, cum πρεσβυτέρους hujus ecclesiae

¹ l. l. pag. 71.

communicare voluisse.¹ Porro assensum CURTIO² dare non possumus, quum ex vocabulis I Tim. IV: 13 ἕως ἔρχομαι, πρόσεχε τῆ ἀναγώσσει ratiocinatur, Paulum Timotheum Epheso Hierosolyma secum ducere voluisse. Non enim credibile esse videtur apostolum, qui Timotheum in epistolae initio jubet παραγγέλλειν τισὶ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, paullo post (nam τάχιον ἐλθεῖν sperat) illorum falsorum doctorum nullam rationem habuisse, Timotheum ipsum abduxisse, et sic ecclesiam illam sine ullo auxilio hisce doctoribus reliquisse.

Haec omnia, ita ut supra fecimus, explicata, nil contorti habent et sic nulla opus est conjectura. Quia igitur CURTII argumenta non valent, etiam hanc sententiam rejicere debemus. — Videamus igitur utrum argumenta HEMSENI majorem habeant vim. Eadem probare conatur ac CURTIUS, sed aliam viam ineundam esse duxit ad hanc sententiam defendenda. Primo igitur loco inquirere volumus, quaenam argumenta HEMSENIUS adducat, ut explicet quomodo Timotheus, quem apostolus jusserat Ephesi manere (I Tim. III: 14) apud apostolum esse possit, quum alteram ad Corinthios epistolam scriberet.

HEMSENIUS putat, Timotheum sua sponte Epheso esse profectum. Confitetur autem se causam nescire, utrum errorum fautores ei tam vehementer

¹ Eodem modo WIESELER l. l. contra MATTHIESIUM.

² l. l. pag. 74.

resisterent, an potius plebs Paulo et Timotheo, apostoli discipulo, irata esset.¹

Tale quid facile accidere potuisse, HEMSENIO et BOEHLIO² statim concedere volumus; sed satis firmum argumentum adduci nequit id revera factum esse, potius contrarium. Dicta enim *γραμματέως*, quae nobis narrantur in act. cap. XIX:40 permultum in plebem valuisse videntur. Et etiamsi talis tumultus rursus locum habuisset, tamen non verosimile est Timotheum tam facile abiisse, quum apostolus ipse tumultui praecedenti non cessisset.³

Neque, ut etiam hoc verbo probemus, Timotheus ipse tam facile cessit. Satis luculenter hoc patet ex act. cap. XVII:14. e quo loco etiam sequitur, apostolum non facile comites suos ad proficiscen-

¹ Sententia Paulum ipsum revocasse Timotheum, HEMSENIO minus probabile esse videtur.

² l. l. pag. 183.

³ Multi autem statuunt, Paulum revera ob tumultum Epheso fugisse, nostram igitur sententiam paucis verbis defendamus necesse est. E vocabulis, quae leguntur act. cap. XX:1: *μετὰ τὸ παύσασθαι κ. τ. λ.* Paulum fugisse nullo modo sequitur; 1°. enim hinc haec explicari possunt, si statuimus post illum tumultum, qui paulle ante apostoli discessum factus est, nihil memoratu dignum locum cepisse. 2°. Paulus non solebat tam facile periculo cedere, neque fuit apostolus tam timidus, quod facile probatur ex act. XIX:30. 3°. si Paulus revera fugere debuisset, vix explicari potest, quomodo apostolus, antequam profectus est, discipulos, ut iis valdiceret, convocare potuisset; multo magis tunc quam celerrime abiisset. Denique jam antea, ut optime monuit SÜSSKIND, Paulus proficiscendi consilium coeperat (cf. act. XIX:21).

dum adhortatum esse, quando sciret eos, ubi degerent, utiles esse potuisse.

HEMSENIUS autem, ut suam sententiam commendet, sine ullo argumento historico statuit, causas, quae Timotheum ad proficiscendum adduxerunt, satis graves esse debuisse.¹

Sed eam ipsam ob causam, quia illae causae tam graves esse debuerunt, jure nostro petimus ac desideramus quaecumque historicum argumentum, unde eas revera adfuisse colligi queat; sed eas causas tantum fingere, nimiae temeritatis esset.

Pauca haec sufficiant ad probandum HEMSENI argumentum non satis firmum esse.

HEMSENIUS quoque conatur dictum I ad Tim. cap. III: 14 in concordiam redigere cum iis, quae narrantur act. cap. XX: 16. Etiam aliam, ac CURTIUS, viam sequitur. Statuit enim, e loco I Tim. III: 14: Ταῦτα σοι γράφω, ἐλπίζων ἐλθεῖν πρός σε τάχιον; non sequi, Paulum revera Ephesum redeundi consilium habuisse.²

Sed sibi non constat, quum Paullo infra dicat; Paulum revera Ephesum redire voluisse, sed haud

¹ HEMSEN l. l. pag. 350. Sic loquitur: „Mögen also die Umstände, welche den Timotheus bewogen, früher abzureisen, als er anfangs beabsichtigte, gewesen sein, welche sie wollen, wichtig genug müssen sie gewesen sein, um seinen gefassten und ausgeführten Entschluss zu rechtfertigen.“

² l. l. pag. 351. „Lesen wir diese Worte unbefangen, so machen sie offenbar nicht den Eindruck, dass der Apostel ganz entschieden gewesen sei, nach Ephesus zu reisen.“

scivisse, utrum hoc mox locum habiturus esset.¹ Ex ipsis etiam verbis: *ἔαν δὲ βραδύνω*, bene patet Paulum consilium Ephesum redeundi revera habuisse, nam dicit fieri posse ut mora quaedam fiat, sed nusquam, ne verbo quidem designat, etiam fieri posse ut non veniat.

Quum igitur viderimus, Paulum, secundum I^{em} ad Timotheum epistolam, revera consilium Ephesum redeundi cepisse, et id non habuisse neque fecisse secundum act. XX: 16, ad HEMSENI sententiam accedere non possumus. Sic etiam ostendimus eos, qui priorem ad Tim. epistolam inserere volunt temporis, act. XX: 1, nullo modo ea, quae ex illa epistola constant, in concordiam redigere posse cum iis, quae in act. apostolorum narratione occurrunt; quam ob rem neque cum iis facere possumus. Aliorum igitur sententiae a nobis sunt tractandae et dijudicandae.

Sententiae huc usque memoratae, plurimos habent fautores; nec mirum, quoniam et summa cum sagacitate sunt defensae, et qualicumque veritatis specie se commendant. Sunt tamen et aliae, quas, licet haud adeo magno inter interpretes fautorum numero gaudeant, et hic tractandas esse duximus.

Primo quidem loco in censum venit sententia BERTHOLDTI² et MATHIESII.³ Putant Paulum hanc

¹ I. I. Paulus hatte also wohl die Absicht nach Ephesus zurückzukehren, aber er wusste in dem Augenblicke, wo er diese Absicht äusserte nicht, ob dies bald werde geschehen können.

² *Einkl.* Tom. 6^o pag. 3473 sqq.

³ *Pastoralbriefe* pag. 452.

epistolam scripsisse, quum secundum act. cap. XX: 3. in animo haberet, revertendi per Macedoniam, ita ut verba „πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν” spectaverint ad iter a Paulo Corinθο vel ex Achaja' susceptum in Macedoniam. BERTHOLDTUS bene quidem vidit hanc suam sententiam admodum difficile in concordiam redigi posse cum iis, quae in sequentibus sectionibus a Luca narrantur, sed ut hac difficultate se expediat, statuit, Lucam minime accurate historiam nobis tradidisse. Si illum audis, Paulus Timotheum recta via Corinθο Ephesum misit et epistolam scripsit, quum ipse in Macedoniam se contulisset.

Quis autem non videt BERTHOLDTI sententiam plane Lucae narrationi adversari, secundum quam Timotheus cum aliis itineris sociis, sectione 4^a enumeratis, Paulum usque in Asiam comitatus est. Talis negligentia hic eo minus toleranda vel admittenda est, quum pronomine ἡμεῖς significari videatur, Lucam ipsum tunc temporis hisce itineris sociis interfuisse.* Quocunque enim modo sectiones 4—7 quis velit explicare, certo certius Lucas nar-

¹ Sic MATTHESIUS l. l.

² Equidem non assentiri possum WIESELERO, qui putat verba ἀχρι τῆς Ἀσίας explicari posse: „bis dahin, wo man nach Asien übersetzte” potius facio cum MEYERO, qui putat Lucam hoc loco „summarisch” loqui, et hoc optime accipi potest si ponimus Paulum antea consilium non habuisse eos praemittendi sed postea (causa, cur hoc suum consilium mutaverit, nos latet) eos antequam ipse Philippis relinqueret, Trojam misisse; et hoc mutatum consilium verbo tantum indicat Lucas sectt. 5, 6.

rat eos omnes Paulum esse comitatos, et bene animadvertit WIESELERUS verba *συνέπεσθαι* et *προελθόντες*, antithesin formare, unde sequeretur Lucam, si BERTHOLDTUS vera divinatus est, non tantum inaccurate, sed plane false narrare. Argumenta, quae adducit BERTHOLDTUS ad suam sententiam confirmandam parum valent. „Sine ullo periculo,” sic ait, „Timotheus Ephesum mitti potuit, quia tumultus erat sedatus.”¹ Sed e nostra sententia, ut supra jam vidimus, neque Paulus neque Timotheus tumultui cedentes, Epheso fuerunt profecti, et igitur hoc argumentum falsa vel admodum incerta nititur hypothesi, neque probari potest Paulum Timotheum ibi rursus mississe.²

Neque apostolus tunc scribere potuit, se sperare fore ut mox ipse Ephesum veniat, nam ut supra contra CURTIUM jam probare conati sumus, Paulus in animo non habebat tunc ibi reverti, et conventus Mileti hic in censum venire nequit.³

¹ l. l. pag. 3574. War, was ohne Bedenken vorausgesetzt werden kann, nach Corinth die Nachricht eingegangen, dass der heidnische Pöbel in Ephesus jetzt wieder ruhig sei, so konnte Tim. ohne Gefahr dahin gesandt werden.

² Porro dicit BERTHOLDUS: Vermuthlich hatte man zugleich erfahren, dass die Irlehrer, wegen welcher Paulus den Tim. schon bei seiner Vertreibung (?) aus Ephesus daselbst zurückgelassen hatte (1 Tim. 1: 3) noch immer und vielleicht jetzt stärker, weil kein Mann von Ansehen ihnen entgegen stand, ihr Unwesen trieben.” — Sed ut supra jam diximus de falsis doctoribus postea nobis est agendum.

³ Huic BERTOLDTI sententiae etiam MATTHIESIUS favet.

Aliter MATTHIESIUS hac de re agit. Hic putat sententiam, Timotheum cum aliis sociis apostolorum usque ad Philippos comitatum esse, Lucae narrationi non inesse? Rogat quare omnes comites Philippis se ab apostolo sejunxerint; et tantum respondere possumus, satis difficile esse post tot saecula, omnium apostoli actionum rationem reddere. Hoc constat nullo loco Lucam narrare, apostolum Timotheum jussisse usque ad Ephesum ipsi antea.

Deinde MATTHIESIUS attendere jubet ad ipsam epistolam ad Timotheum et primo loco ad significationem verbi *προσμεῖναι*, quod verbum perperam interpretes reddiderint vertentes „remanere.” E praepositione, „πρὸς” patere putat, hoc verbo locum indicari, quem Timotheus adire debuit, ut ibi maneret.¹ Hac significatione admissa, haec sectio verti debet: „sicut te jussi... adire Ephesum et ibi manere;” ita ut nulla fiat mentio loci, quo Timotheus hoc mandatum orale acceperit, quamquam Ephesus excluditur.

Sin autem attendimus ad contextum, bene patet hoc loco *προσμεῖναι* nullam aliam nisi remanendi significationem habere posse,² quum, si apostolus

¹ l. l. pag. 223... es wird dadurch, gemäss dem Begriffe der Präposition *πρὸς* — der Ziel- und Ruhepunkt bezeichnet, wo Tim. als an dem Ort seiner nächsten Bestimmung verweilen sollte.

² Absolute positum, revera verbum illud potius „manendi” quam „remanendi” habet significationem; sed quum hoc loco ponatur cum loci indicatione, cum praepositione *ἐν*, qua quies indicatur, haec manendi significatio transit in significationem remanendi.

indicare voluisset, quod MATTHIESIUS putat, admodum obscure sententiam suam expressisset apostolus.

Idem vir doctissimus verbum *πορευόμενος* referre vult, non ad subjectum verbi *παρεκάλεσα*, sed ad pronomen *σέ*, ita ut Paulus Timotheum jusserit abire in Macedoniam.¹ Si res ita se haberet exspectaremus *πορευόμενον*, sed MATTHIESIUS alios locos allegat, e quibus pateret, talem constructionem etiam in aliis epistolis occurrere.² Quicumque autem hos locos inspiciat statim videbit in iis alios casus poni, ut, sicut WINERUS³ monet, ita hisce participiis major vis daretur, et etiam ab objecto, cui apponuntur, satis distant, quum in nostra sectione fere contrarium locum habeat.⁴ Denique hisce explicationibus Pauli sententia tam obscura fit, ut vix intelligi possit, quomodo apostolus sic scribere potuerit, nam tum illa verba vertenda essent: sicut te jussi abeuntem in Macedoniam Ephesi manere.⁵

¹ Sic etiam BOETTGERUS, *Beitr. Abth. IV. Die Hirtenbriefe des Ap. Paulus auf ihren hist. Standpunct zurückgeführt.*

² Loci, quos allegat, sunt: Eph. III: 17, 18. IV: 1, 2. Col. III: 16, 17.

³ l. l. Die Vorstellungen durch die casus recti der Part. ausgedrückt, sind so stärker gehoben etc.

⁴ Cf. WINER l. l. pag. 287 in annotatione 3^a.

⁵ Jure suo WIESELERUS rogat: „und wer sagt: verbleibe in Ephesus, wenn du nach Macedonien reise, in dem Matthiesschen Sinne, nach welchen Ephesus als Ziel- und Ruhepunct der Reise erscheint? Denn Ephesus ist ja kein Ort Makedoniens.“

Neque audiendi sunt BOETTGERUS¹ et SCHNECKENBURGERUS,² putantes legendum esse non *προσμεῖναι* sed *προσμεύας*. Haec scilicet conjectura omni auctoritate destituta est, et si BOETTGERUS putat scriptores facile scribere potuisse *προσμεῖναι* pro *προσμεύας*, hoc negare nolumus, contendimus vero inde non sequi id revera factum esse, et quum hac conjectura oratio satis contorta reddatur, multo magis verosimile est id non esse factum. Quum igitur illae criticae conjecturae non satis firmæ sint, et recepta lectio praeferenda sit, cum BOETTGERO facere non possumus, qui statuit illam epistolam Patarae³ (act. XXI: 1) vel Mileti (act. XX: 17) compositam esse, et quidem eam ob causam, quia nec Timotheus tunc temporis Ephesi fuit, nec Paulus ibi reverti in animo habuit, et alias ob causas, quas jam supra enumeravimus.

Aliter rursus de hac epistola egit Paulus Heidelbergensis.⁴ Etiam hic *πορευόμενος* ad Timotheum refert, de qua quaestione supra jam egimus. Secundum Paulum *προσμεῖναι* significaret „perseverare” nempe in iis faciendis, quae Paulus Timotheo

¹ l. l.

² *Beitrüge.*

³ l. l. pag. 37. „Patara und Milet (sind) demnach die Orte, in welchen der Brief geschrieben sein könnte.” — SCHNECKENBURGER putat Caesaream esse locum, ubi haec epistola scripta sit, de hac sententia, cui etiam Paulus favet, infra agemus.

⁴ *Commentatio de tempore scripturae prioris ad Tim. atque ad Philippenses epistolae Paulinae.*

injunxerat, et ἵνα παραγγείλης significationem haberet optativam vel imperativam; ita ut Paulus Timotheo scripserit: sicut te monui quum Ephesi maneres, perseverare in iis, quae te jusseram, ita mone tu abiens in Macedoniam ibi nonnullos homines μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν. Haec scripsisset apostolus, quum Caesareae fuisset captivus.¹

In epistola autem nulla captivitatis mentio fit et quomodo apostolus Caesareae captivus Timotheo scribere potuerit: ταῦτα σοι γράφω, ἐλπίζων ἐλθεῖν πρὸς σε τάχιον, vix intelligo. Praeterea, quis credere potest, apostolum tam obscure sententiam suam expressisse, ut putat ille vir doctissimus. Hanc sententiam fere omnes alii viri docti rejecerunt, quare in hac quaestione refutanda haec pauca sufficiant.²

Tandem eo pervenimus, ut ipsi nostram sententiam exponamus et contra secus sententiarum objectiones defendamus.

E supra monitis jam apparuit, nusquam in act. apostolorum libro locum vel opportunitatem indicari, qua haec epistola sit conscripta. Exinde sequitur eam, si revera Paulum auctorem habuit, esse ponendam post tempus quod act. apost. con-

¹ Sic etiam SCHNECKENBURGER.

² DE WETTE, *Einl.* pag. 301. hac de re sic loquitur: „Die Hypothese, dass der Brief in der Gefangenschaft zu Caesarea geschrieben sei, und Aufträge an Timotheus nach Macedonien enthalte, ist zu gezwungen, als dass sie eine genauere Widerlegung verdiente.“ Cf. etiam BOEHL. l. l. pag. 202 sqq. HEMSEN l. l. pag. 360. HUTHER l. l. pag. 15. WIESELER l. l. pag. 312 alii.

tinent, quod, e nostra sententia, eodem redit, ac: post apostoli liberationem ex priore captivitate Romana.

Ad hanc sententiam nos ducunt res varii generis, quae in epistola narrantur, collatae cum iis, quae in act. apost. nobis occurrunt. — Primo quidem loco in censum veniunt falsi doctores in ecclesia Ephesina, quos doctores Paulus in act. XX: 29 sqq., tanquam futuros annuntiat. Multi autem hoc negant, et contra eos haec nostra sententia defendenda est.

Nonnulli nempe statuunt in epistola ad Timotheum falsorum doctorum jam existentium, mentionem non fieri, sed Paulum illos doctores, tanquam in posterum venturos, annuntiavisse. Alii hoc negantes probare conantur, Paulum in oratione ad presbyteros Ephesinos (act. XX: 29 sqq.) revera loqui de falsis doctoribus; alii statuunt falsos illos doctores eo tempore Ephesi quidem fuisse, sed Paulum eorum mentionem in hac oratione non fecisse, nec facere voluisse, propter peculiarem indolem. Diversas illas sententias ponderemus.

Inter eos, qui putant in nostra epistola Paulum falsorum doctorum mentionem non fecisse, imprimis recensendi sunt HUGIUS¹ et HEMSENIUS.² Prior statuit verbum *ἐτεροδιδασκαλεῖν* non significare

¹ *Eint.* II, pag. 288.

² l. l. 364.

„diversam doctrinam docere” sed „*ἐτέροις διδασκάλοις προσέχειν*, alienos magistros sectari.” Haec autem significatio verbo composito non inest, ut compositio satis docet, et sicut HUGIUS explicare vult, apostolus fere idem sectione sequente dixisset.

HEMSENIUS putat, apostolum hisce verbis tantum Timotheo dicere voluisse, ipsi cavendum esse ne tales pravae opiniones in ecclesiam irreperent. Sed etiam haec sententia falsa verbi *ἐτεροδιδασκαλεῖν* nititur versione; nam si *ἐτεροδιδασκαλεῖν* significat diversam doctrinam docere, tum revera concedendum est, tunc temporis in ecclesia jam falsos fuisse doctores, nam iis, qui non erant Christiani, Timotheum hoc *παραγγέλλειν* non potuit.

HEMSENIUS verosimile videtur, Paulum, si re vera tum isti doctores existerent, eorum doctrinam accuratius descripsisse.¹ Hoc argumentum tantum valet, quantum valet, satis enim accurate eos describit sect. 4^a et 7^a aliis, et si nobis satis difficile sit ex iis indiciis aliquid efficere, quod ad eorum doctrinam attinet, nondum sequitur Timotheo haec pauca non suffecisse. Sin autem probari posset, eo tempore, quo epistola composita sit, falsos doctores non amplius exstitisse, tamen e cap. I: 20, satis patet, eos jam antea, quum Paulus

¹ I. I. „(man sollte) doch auch erwarten, dass der Apostel die Grundsätze der Irrlehrer, ihre Irrlehre und Bestrebungen näher und bestimmter bezeichnet haben würde, wenn sie jetzt schon wirklich damit wahren hervorgetreten.”

Timotheum Ephesi reliquit, in ecclesia fuisse, et sic nostra sententia semper salva maneret.

Denique HEMSENIUS¹ provocat ad verba cap. IV:1 ubi legitur: τὸ πνεῦμα ῥητῶς λέγει, ὅτι ἐν ὑτέροις καίροις ἀποστήσονται τινες τῆς πίστεως, προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων κ. τ. λ. ex quibus pateat Paulus tantum falsos doctores in mente habuisse in posterum venturos.

Sed ex his verbis „ἐν ὑτέροις καίροις” etc. minime sequitur eo tempore non exstitisse falsos doctores, sed tantum eos postea majore vi et minus occulte surrecturos esse, ita ut multi Christiani eos sequerentur. Nam si falsi doctores ibi nondum fuerunt, quomodo apostolus loqui potuit ut fecit cap. I:19, 20, cap. IV:20, 21 aliis, nisi ipsum sibi contradixisse statuere velimus².

Alio modo hac de re egit CURTIUS,³ imprimis contra SCHLEIERMACHERUM disputans. Primo loco ad orationis (act. XX:18—36) indolem et finem provocat.

Putat, Lucam nobis non omnia narrare, quorum apostolus eo tempore presbyteros convocatos admonuit. Facile id concedere volumus; summam tamen eorum, quae Paulus cum illis viris commu-

¹ l. l. pag. 365.

² Πὰρ de quaestione conferatur disputatio BOEHLII l. l. pag. 199 sqq.

³ l. l. pag. 66 sqq.

nicavit, Lucam narrasse vel narrare voluisse admodum probabile est, et quum sect. 29^a et 30^a falsorum doctorum olim futurorum mentionem faciat, quare, si tales tunc temporis jam essent, de iis nihil quidquam dicit?

„Sed,” ait CURTIUS, „oratio perderet suum tonorem naturalem propriumque colorem.” Nullo modo hoc concedere possumus, nam si mentio falsorum doctorum, qui nondum erant, hujus orationis „tonorem naturalem” non interrupsit, cur mentio eorum, qui jam erant, hoc fecisset? Neque CURTII¹ argumentum valet, ductum ex orationis fine. Secundum eum finis non est: „presbyterorum culpam ostendere, sed si quam contraxissent, se ejus esse innocentem indicare studet; non punire vult eos, sed amore amorem inflammare; non praeterita castigare, quod quum mutare non posset frustra fecisset, sed praesenti tempore, motis eorum animis eorumque studio recens excitato, res futuras dirigere et formare sibi proponit.” Sed e mea sententia minime necessario sequitur Paulum presbyteros „castigare” vel „punire” debuisse². Nam etiamsi summa cura summaque diligentia presbyteri vigilassent, falsi doctores in ecclesia surgere potuissent, et Paulus homines innocentes, reos ha-

¹ l. l. pag. 68.

² Nam subscribere non possum iis, quae CURTIUS dicit: „tunc temporis jam inter ipsos presbyteros fuisse, qui falsae doctrinae propensiores fuerant; hoc enim non sequitur ex verbis: ἐξ ὁμῶν αὐτῶν ἀναστήσονται κ. τ. λ.”

bere non solitus erat. Quod CURTIUS in medium protulit: Paulum res futuras dirigere et formare sibi proposuisse, magis nostrae sententiae favere videtur. Nam si ita agere voluit, quum falsi doctores in ecclesia essent, apostolus optime presbyteros attentos facere potuit ad eos homines, ut non tantum verbis, sed etiam exemplis demonstraret, tales homines periculosissimos esse, et ecclesiae Christianae quam maxime nocituros. Quamquam „praeterita igitur mutare non potuit,” praeterita tamen ei ansam praebere potuerunt, serio presbyteros ad vigilandum excitandi, et eas ob causas vix credibile Paulum eos praeteriisse.

Denique CURTIUS¹ statuit sectionibus 29^a et 30^a, non falsos doctores cujusque generis praedici, sed certos quosdam innui magistros. Vix autem probari potest Paulum per verba „*λύκοι βαρεῖς*” quoddam falsorum doctorum genus annuntiare velle,² et si apostolus verbo *εἰσελεύσεσθαι* indicare voluit, eos doctores „e peregrinis ecclesiis in Ephesinam invasuros esse” hoc nil ad rem, illi venirent, ut apostolus dicit: „*μετὰ τὴν ἀφιξίν μου*”, et nullum argumentum praebet CURTIUS, quo probaretur, eos

¹ Non assentiri possum CURTIO, dicenti: „Denique, qui in eo est, ut amicissimos relinqueret, in iis solummodo occupatus quae sibi eripiuntur, virtutes eorum majoris aestimans, vitia fere non vidit, itaque quid reprehendat ne animadvertit quidem.” Revera saepe eheu! ita fit; sed non puto Paulum talem fuisse virum, qui propter amicitiam officia Christiana parvi.

² Cf. MEYER ad I.

eo tempore in ecclesia Ephesina jam adfuisse; potius contrarium; nam si tunc ibi jam adfuissent, non opus fuisset ut apostolus annuntiaret, eos e peregrinis ecclesiis in Ephesinam invasuros esse.¹

Etiam e verbis sect. 29^{ae} et 30^{ae}: „εις ὑμᾶς” et „ἐξ ὑμῶν αὐτῶν” nostra sententia probari potest. Non enim assensus praebendus est WIESELERO² et SCHAFFIO³ putantibus εις ὑμᾶς tantum spectare ad presbyteros; nam illos apostolus alloquitur tanquam, ut ita dicam, ecclesiae Ephesinae procuratores. Id revera ita esse, bene docet sectio sequens, in qua apostolus dicit: „ἐξ ὑμῶν αὐτῶν,” hisce verbis ipsos presbyteros alloquens.⁴

Denique ut recte monet HUTHERUS, vix credibile Paulum nihil de falsis doctoribus monuisse, si sciret eos ecclesiae tam minari ut jam antea (sic

¹ Neque hoc effici potest e solempni obtestatione (sect. 26^a) nam hanc addidit Paulus ad confirmanda, quae jam antea dixerat sect. 19—22 ut probaret se omnia fecisse, quae potuerat et nihil quidquam omisisse, ita ut non sua esset culpa si in posterum nonnulli aberrarent. Si vel concedere vellem „ecclesiam Ephesinam propter res praeteritas in crimen fuisse vocandam,” minime tamen inde sequeretur eam propter *falsos doctores* fuisse reprehendendam. Tum nusquam eos adhortatur Apostolus ut falsis doctoribus resisterent, quod certo certius fecisset, si jam Ephesi prodiissent; sed jubet eos γρηγορεῖν.

² l. l. pag. 301.

³ l. l. pag. 353.

⁴ DE WETTE ad l. statuit ἐξ ὑμῶν αὐτῶν spectare etiam ad Ecclesiam Ephesinam, quamquam haec interpretatio a nostra differt, hoc minime infringeret nostram sententiam.

ut nostrae sententiae adversarii volunt) Timotheo talia contra eos praecepta dedisset.¹

Quum igitur ex priore ad Timotheum epistola pateat, eo tempore falsos doctores Ephesi adfuisse, et quum in oratione ad presbyteros Ephesinos ab apostolo habita, tales viri, in posterum venturi, annuntientur, sequitur, hanc epistolam antequam haec oratio haberetur, nullo modo esse compositam.

Nonnulli etiam animadvertunt ecclesiae conditionem, uti ex epistola ad Timotheum cognoscitur, satis fuisse inordinatam, ut hoc argumento probent ecclesiam Ephesinam satis brevi ante hanc epistolam scriptam, esse conditam.

Contra eos, Paulum ipsum presbyteros eligere haud potuisse, statuentes, quia tumultu Ephesino coactus fuerit illam urbem repente relinquere, valent, quae jam supra hac de quaestione disputavimus. Si vero nostra sententia ibi proposita, vera est, vix credibile, Paulum, quum per tres fere annos Ephesi degisset, presbyteros non instituisse. Sin objiciant Paulum hoc non fecisse, quum prima vice Euangelium in Asia annuntiavisset, memorare sufficiat, quod BOEHLIUS jam monuit,² apostolum ex illis urbibus, quas tum visitavit, statim esse expulsam, ut patet ex Act. cap. XIV et XV. Sed Ephesii res aliter sese habebant. Ibi dudum mansit, et quo

¹ Cff. HUTHER l. l. et de hac quaestione etiam BÖHL et HEYDENREICH.

² l. l. pag. 180.

magis Christianorum numerus accresceret, eo magis necessarium erat presbyteros instituere, qui rebus Christianis prospicere possent, uti etiam factum erat in ecclesia Hierosolymitana. Neque in epistola apostolus totidem verbis Timotheum jubet nunc eligere presbyteros, nam quae dicuntur cap. III. tantum ad futurum spectant, si in posterum presbyteri et diaconi creandi essent, et tota epistola, si accurate legitur, magis ponit, presbyteros et diaconos jam adesse (imprimis cap. V : 17 et 19).¹

Nonnulli etiam objiciunt in ecclesia Hierosolymitana fere statim inveniri presbyteros et diaconos.

Animadvertendum autem est, hanc ecclesiam cum ecclesia Ephesina comparari non posse; nam ecclesia Hierosolymitana statim incredibili modo accreverat (cf. Act. II : 41; IV : 4; V : 14) ac eadem ratione ecclesia Ephesina accrevisse, nusquam legitur, nec probabile est habendum.

Si quoque attendimus ad vitia, quae ecclesiam Ephesiam irrepserant (cap. II et V), haec ipsa probare videntur, hanc ecclesiam jam dudum existitisse, nam talia vitia vix tale incrementum cepissent, si haec ecclesia huc usque tutela apostolica gavisa esset, multo magis, imaginem refert ecclesiae, quae primum flagrantem amorem perdiderat.

¹ Copiose hac de re egerunt BÖHL l. l. et HEYDENREICH l. l. Eatenus WIESELERO, qui fore idem monet, assentior; quando autem addit: „Es existirten z. B. gewiss schon Presbyter, nur noch nicht in der nöthig geworden Zahl;" tum ultimum hoc additamentum nullo modo nostram sententiam infringere potest.

Porro e cap. II:1 sqq. nolo efficere hîc prima vice precum pro magistratibus mentionem fieri; sed quia apostolus ad has preces faciendas adeo excitat, hinc forte conjici licet, eas eo tempore non semper factas esse, itaque talem ecclesiae conditionem denotare videtur, qualem supra descripsimus. Ceterum concedimus, argumenta a nobis allata, non ejusmodi esse ut ii, qui nostrae oppositam sententiam tueantur, in his statim acquiescant; nec facile argumentum afferri posse, quo thesis, quae diuturnam hujus ecclesiae existentiam ponit, omni dubio major reddatur. Hoc tamen satis demonstravisse nobis videmur, hujus ecclesiae conditionem, qualis ex hac epistola cognoscatur, nostrae sententiae non adversari, neque argumenta secus sententiarum valere, ad contrarium probandum. — Pergunt autem adversarii: iter Pauli, quod fingunt ii, qui putant Paulum e priore captivitate liberatum esse, non convenit cum consiliis, quae in illa captivitate elocutus erat, ut patet ex epistolis ad Philippenses et ad Philemonem.¹

CURTIVS enim putat, Paulum Romae consilium in Macedoniam abeundi cepisse, antequam Philemonem Colossensem visitaret; et argumentum petit ex iis, quae Paulus in epistola ad Philippenses cap. II:19 scripsit: *πέποιθα δὲ ἐν κυρίῳ, ὅτι καὶ αὐτὸς ταχέως ἐλεύσομαι.*

¹ Sic imprimis: HEMSEN l. l. pag. 381; BERTHOLDT l. l. pag. 3611; CURTIUS l. l. pag. 91.

Mihi autem plane contrarium consilium cepisse, apostolus videtur. Nam in epistola ad Philemonem Paulum dicentem audimus: *ἑτοίμαζέ μοι ξενίαν*. Verosimilius autem est, apostolum primo loco in illam urbem abiisse, in qua sibi hospitium parari voluit, quam ad fratres quibus tantum promiserat se cito esse venturum. Deinde ex iis, quae scribit in epistola ad Philip. cap. II: 19 hoc etiam effici potest, nam, vel Timotheum rursus Romam rediturum esse, exspectat, vel saltem ex eo audire vult de rebus Philippensium.¹ Non tam cito in Macedoniam venire, ac CURTIUS statuit, in animo habuit Paulus. Sin vero Timotheus Romam non rediit, facile apostolum Ephesi invenire potuit. Ex illa urbe profectus, Timotheum relinquens, abiit apostolus ad Philemonem, porro in Macedoniam, ubi epistolam ad Tim. scribit et consilium Ephesum revertendi capit.² Paulum, Roma proficiscentem, Ephesum adiisse, verosimile est, quia poni potest, inter magnas illas urbes commercium satis frequens et fere continuum fuisse.³

¹ Cf. KLING. I. I. pag. 519.

² Sic non opus est cum CURTIO ponere, Paulum Ephesum venientem in Macedoniam abiisse, tum e Macedonia per urbem Ephesum se ad Philemonem contulisse.

³ Neque ponamus necesse est, Paulum prima vice diu Ephesi esse moratum, quam ob causam sententiae nostrae nihil nocet dictum CURTII, dicentis: „Quis vero est, qui existimet, apostolum liberae conditionis tempus ita huc illuc proficiscendo contrivisse, in quibus jam prius Christianam doctrinam firmiter fundaverat?”

CURTIVS addit: non esse probabile apostolum, tempus, quo frui potuit, insumsisse ad ecclesias jam conditas visitandas, quum „semper studio arderet eos, qui in tenebris versarentur, euangelica luce collustrandi.” Verumtamen apostolus ipse, ut patet ex epist. ad Philip. et ad Philem., eo reverti in animo habuit; tum autem etiam per quatuor annos apostolus fratres in Oriente non viderat, captivus fuerat, multa erat perpessus, et mirum esse non potest, apostolum desideriis illas ecclesias revisendi flagravisse, et hoc eo magis, quo plura in Asia accidissent, quae nullo modo, ut ex epist. ad Timotheum patet, probare potuit. Nonne verosimile est apostolum, antequam regionibus aliis, ubi nondum operatus erat, Euangelium annuntiaret, huic malo quantumcunque potuerit, remedium afferre voluisse, ut placido animo novi laboris molestias suscipere possit? Quid? quod jam per duos annos Romae haud otiosus fuerat, multum ibi perfecerat, ut patet ex epist. ad Philippenses, et nunc optime revera in Orientem reverti potuit, etiamsi studio arderet, alios euangelica luce collustrandi. Haec igitur omnia, quae adducit CURTIUS, nostram sententiam infringere non possunt.

Consideremus autem argumentum HEMSENI,¹

¹ l. l. pag. 381 sqq.; haec nostra disputatio etiam valet contra REUSSIVM, l. l. p. 159 dicentem: „Ce qu'il y a de plus curieux, c'est que les théologiens, qui se servent de cet argument sont en contradiction avec eux-mêmes et avec Paul en même temps. Il

quod ei gravissimum esse videtur, ita ut plane nostram opinionem refutaret.

Apostolus, sic ille, Ephesum reverti non potuit, sicut nos statuimus, nam dixerat presbyteris Ephesinis in conventionem Milesio Act. XX:25 *ἐγὼ οἶδα ὅτι οὐκέτι ὄψεσθε τὸ πρόσωπόν μου ὑμεῖς πάντες*. Sin autem apostolus postea Ephesum reversus fuerit, dictum illud praeposterum et falsum esset habendum.

Hoc argumentum revera gravissimum esse videtur; sed tantum *videtur*. HEMSENIUS enim, verbum *οἶδα* valde premens, sibi ipsi constare non potest, nam sententiam alterius captivitatis rejicit, quamquam apostolum in epistola ad Philippenses dicentem audivimus: *οἶδα, ὅτι μενῶ κ. τ. λ.* Quo autem jure urget HEMSENIUS illud *οἶδα* in Act. apost. et non eodem modo in epist. ad Philippenses? Deinde, nonnulla tantum verba allegat HEMSENIUS et omisit: *ἐν οἷς διήλθον κηρύσσων τὴν βασιλείαν* ex quibus patet apostolum putavisse se nullum eorum, quos viderat, esse revisurum, et quomodo HEMSENIUS explicat apostoli spem, fore ut Philippenses visitaturus sit? Igitur HEMSENIUS semper concedere debet, apostolum verbo *οἶδα* utentem praepostere esse locutum. Illud *οἶδα* nobis molestum non est; nam ut jam vidimus ex epistola ad Philippenses l. l., verbum illud etiam praesagiendi ha-

dit aux anciens d'Ephèse (act. XX:25, 28) qu'il ne les verra plus. Et dans l'hypothèse de la seconde captivité il serait revenu à Ephèse.

bere potest significationem, et si hoc loco ita vertitur, omnia bene quadrant. Sectione enim 23^a minime dicit apostolus Spiritum Sanctum testari mortem prope instare, sed tantum *δέσμα καὶ θλιψεις*,¹ et ita ex iis, quae illa verba sequuntur patet, apostolum ex illis indiciis conjecisse, finem catenarum suarum futuram esse martyrium.² Sin vero HEMSENIUS provocare vult ad locum Act. cap. XX : 29 : *ἐγὼ γὰρ οἶδα τοῦτο, ὅτι εἰσελεύσονται κ. τ. λ.* ad nostram sententiam refutandam, tum, ea, quae ex illo loco effecimus, firma manent, etiamsi *οἶδα* vertatur per verbum „praesagio.”

Ad aliud argumentum progredimur ad quod alterius captivitatis oppugnatores, valde attenderunt; nempe ad dictum apostoli cap. IV : 12 *μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονεῖτω*, unde efficere conantur, epistolam post Pauli priorem captivitatem scriptam non esse nec scribi potuisse, quia tum de Timothei adolescentia sermo esse non posset.

HEMSENIUS, hoc argumentum non magni esse ponderis, statuit; sed CURTIUS imprimis illud urget sicut etiam alii. Nondum autem probaverunt illud ver-

¹ Cf. hac de re imprimis: DA COSTA, *Nalezing* pag. 74 sqq. BÖHL, l. l. pag. 215 sqq.

² Longius quaesita est sententia HEYDENREICHII, qui putat apostolum dicere voluisse, presbyteros eum non revisuros esse ante ipsius iter hierosolymitanum; haec enim explicatio satis est contorta. Idem dicendum est de MICHAËLIS sententia, stuentis apostolum dixisse non *omnes* illos presbyteros cum esse revisuros, quum non negaverit apostolus nonnullis hoc evenire posse.

bum hic stricto sensu esse positum. Nonne verosimilius est, hoc ita dici, ratione habita virorum provectoris aetatis, et etiamsi concedatur eum, „non cum presbyteris, sed cum *πίστοις* comparari”¹ etiam tum nostra sententia valeret, nam etiam ii, qui in eadem erant aetate ac Timotheus, ejus juventutem contemnere poterant, si eos reprehenderet? Etiamsi enim Timotheus eo tempore triginta et quatuor annos natus fuerit, de *νεότητι* sermo esse potuit, ratione habita gravissimi, quo fungi debuit, muneris in tali ecclesia, quocum tales curae conjunctae erant (cf. cap. V). Nonne contra falsos doctores erat agendum ei, qui de se ipso dicere non potuit se esse *κλητὸν ἀπόστολον*?

CURTIVS autem statuit, fortasse satis temere, Hebraeos non ita esse locutos. Putat vocem, qua Paulus usus est, convenire cum Hebraïca voce *רַגַל*.

Ponamus CURTII sententiam veram esse, vocabulum *רַגַל* convenire cum vocabulo *νέος* (*νεότης*), et videamus quid hac de re historia doceat.²

¹ Sic CURTIUS, l. l. pag. 96, porro de hac quaestione cum eo faciunt; DE WETTE, *Eint.* pag. 381; WIESELER, l. l. pag. 312, alii.

² „Duo quidem.” sic ait CURTIUS „mihi huic rei operam danti loci occurrerunt, in quibus similis quidam vocis *רַגַל* usus esse videri posset.” Alterum legimus I Reg. III: 7 ubi Salomo, quamvis jam rex tamen *רַגַל* nominatur, alterum in *Jeremiae vaticiniis* I: 6. Revera hi loci nihil probare possunt, quia non constat quot annos natus eo tempore Salomo vel Jeremia fuerit. Mihi autem plures oei occurrerunt, qui multum valent.

Legimus regem Davidem de Absolomo 2 Sam. XVIII: 5 dixisse: **לֹא-אֶת־לִי לַנֶּעֶר**. Si ad hunc locum attendimus, bene patet vocabulum **נֶעֶר** apud Hebraeos etiam latius quam apud nos patuisse.¹ Luce clarius hoc etiam apparet ex Exodi libro cap. XXXIII: 11 ubi Josua vocatur **נֶעֶר** (*νεὸς*). Doleo haec exempla CURTIUM fugisse.

Evolvamus etiam Novum Testamentum, ubi invenitur historia juvenis divitis. Hic secundum Mattheum cap. XIX: 20, 22 erat juvenis; secundum Lucam cap. XVIII: 18 jam fuit *ἀρχων*, unde sequi videtur vocabulum „*νεανίσκος*” eo loco etiam latius quam apud nos patere. Sin autem *ἀρχων*² vocari potuit *νεανίσκος*, quare minus sermo esse potest de Timothei *νεβότητι*?

Neque valent, quae WIESELERUS³ et SCHAFFIUS⁴ monuerunt, quorum prior imprimis putat, apparere

¹ Scimus enim ex eodem libro cap. XIII: 23, Absalomum duos annos post sororis violationem interfecisse Ammonem, tum per tres annos degit in Gesur, porro per duos annos Hierosolymis, antequam ei licuit Davidem visitare, et denique, [si legimus pro quadraginta annis (cap. XV: 7) quatuor,] per quatuor annos Hierosolymis ante tumultum ejus, et si tantum viginti annos natus fuit, quum Ammon sororem violaret, eo tempore erat triginta annos et unum natus et tamen vocatur **נֶעֶר**, quamquam secundum cap. XIV: 27 quatuor jam habuit liberos.

² Si *ἀρχων* significat, ut MEYER et DE WETTE putant, „Synagogenvorsteher” tum conferri debent, quae DE WETTE, *Archaeologie* pag. 346 de hoc munere monet.

³ l. l. pag. 312.

⁴ l. l. pag. 332.

ex loco 1 Tim. III: 15 (ἵνα εἰδῆς) Timotheum nondum diu cum apostolo fuisse. Si vero accipienda esset WIESELERI sententia de Timothei imperitia,¹ non explicatur, quomodo apostolus talem juvenem, harum rerum plane imperitum, in ecclesia a falsis doctoribus, aliisque rebus turbata, relinquere poterit. Et eum non tantum reliquit ut ecclesiae res *externas* curaret sed etiam res *internas*, immo ut παραγγείλη τισὶ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν. Senes igitur admonere, e mente Pauli presbyteros ex multitudine eligere, accusationes in presbyteros allatas audire, num tot laborum tam gravem molem juvenis humeris imposuisset apostolus? Cur Paulus (hoc quaerere nobis licet) non potius presbyterum quendam pium elegit, quam talem imperitum juvenem? Haec autem omnia nullam praebent difficultatem, si ponamus non Timothei harum rerum imperitiam, sed paternum potius, quo eum amplectebatur (amorem, hisce omnibus tanquam ad filium scribendis, ansam dedisse apostolo, ut eum excitaret, et, quamquam absens, ei ut pater fidelissimus suis consiliis, suaque experientia adesset, et contra omnes adversarios tueretur. Haec agendi ratio optime quadrat in necessitudinem, quam Paulum inter et Timotheum intercessisse novimus, quae tam arcta fuit, ut eum τέκνον suum vocare soleret.²

¹ Die ganze Abfassung des Briefs setzt eine geringe Uebung und Erfahrung des Timotheus, in Leitung und Regelung der Angelegenheiten einer Christlichen Gemeinde voraus.

² Haec de re conferenda, quae scripserunt BÖHL l. l., HEY-

Deinde, hanc epistolam post priorem Romanam captivitatem scribi non potuisse, contendit CURTIUS, quia nusquam in epistola commemoratur, apostolum vinculis jam fuisse constrictum, ad quod argumentum etiam attendit SCHOTTUS.¹

CURTIUS psychologica comprobare conatur, quod Paulus, si carcere fuisset liberatus, hujus liberationis quam certissime mentionem fecisset. Argumenta autem psychologica saepe satis sunt subjectiva. Ante omnia nobis attendendum est ad causam, quare apostolus Timotheo hanc epistolam scripserit. Hoc statim ex tota epistola apparet, eum non scripsisse, ut cum Timotheo nonnulla de sua ipsius conditione communicaret, (quod luculenter patet ex cap, III: 14, 15) sed inde ab initio consilium indicat, nempe ut Timotheum tute ducat ad Ecclesiae res, hocce tempore gravissimas, regundas. In tali epistola expectare possumus, scriptorem imprimis attendere ad officia illius, cui scribit, et ad statum ecclesiae, cui hic praest, minus vero tali in epistola multa quaerimus, quae de scriptoris ipsius conditione agant. Ejusmodi autem est epistola prior ad Timotheum, ita ut vix comparari possit cum ceteris epistolis in captivitate Romana conscriptis. Praeterea hanc epistolam salutationibus plane carere, imprimis est animadvertendum.

DENREICH l. l., SCHOTT l. l., SCHOLTEN, KLING, CONYBEARE and HOWSON: *Life and Epistles of St. Paul*. ed. 2^a, Tom. II, pag. 656 sqq. ¹ l. l.

Accedit, quod Timotheus jam dudum apostoli liberationis certior factus erat, quam igitur iterum ut ei Paulus narraret non opus erat, idque eo minus quia apostolo erat persuasum, Timotheum filium suum vel sine ejus adhortatione, sua sponte propter salutem, erga Deum grato esset animo, quod autem haud aequae tota de ecclesia sperare potuit, quare semper salutem, qua gaudebant, in ejus memoriam revocat. Fac ut concedamus CURTIO, dicenti „alias ecclesias, jam scivisse eum esse captivum, antequam id ex ipsius epistolis acceperint;” fortasse tamen hic etiam valet; qui bene distinguit, bene docet. Nam quum Paulus captivus ecclesiae cuidam epistolam mitteret, id scire potuit, omnes nuntii esse cupidissimos, quomodo res apostoli sese haberent, et quo ipse in captivitate esset animo; si igitur nihil de sua conditione commouisset, stultum fuisset, praesertim quum cum captivitatis commemoratione fere semper, ut ipse CURTIUS concedit, adhortationes adjunxerit. Sed haec omnia hac in epistola, quam, ut ita dicam, necessitate coactus scripsit, non opus erant, in qua epistola non nisi obiter suas res tangit.

Denique loci in quibus CURTIUS putat hoc opus fuisse, non valde apti sunt ad ejus sententiam commendandam vel comprobendam. Apostolus enim cap. I : 12—16 imprimis Dei clementiam laudat, quae patuit e conversione talis viri, qui antea fuerit βλάσφημος καὶ διώκτης καὶ ὑβριστῆς quum sectione 16^a causam, quare Deus eum tali clemen-

tia affecerit, memorat; liberationis igitur relatio non erat hujus loci neque cap. II: 7. Neque interpreti, ejusmodi tantum argumentis ducto, jus concedimus exacte definiendi, quid necessario apostolus scribere debuerit, quid silentio praeterire potuerit.

Vidimus igitur omnia dubia, quae contra nostram sententiam attulerunt viri docti optime solvi posse, quam ob rem nostra sententia salva manet, hanc epistolam esse conscriptam post Pauli ex priore captivitate liberationem, quia act. apostolorum nusquam locum indicent, e quo pateret, illam ante hanc captivitatem esse compositam.

CAPUT II.

De epistola ad Titum.

Antequam diversas sententias doctorum virorum hac de epistola commemoramus, primo loco nobis erit agendum de indiciis historicis, quae epistola ipsa continet. Secundum cap. I: 5 apostolus ipse in Creta una cum Tito fuit, quem ibi reliquit: *ἵνα καταστήσῃ κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους*. Quamdiu autem apostolus ibi manserit, et utrum ibi jam Christianos invenerit, non monet epistola. Certo certius autem in pluribus locis Euangelium non tantum annuntiavit, sed christianos etiam coetus condidit; tempus tamen ei defuit presbyteros instituendi, quod ad perficiendum, Titum reliquit. Deinde ex epistola patet Paulum in animo habuisse

in quadam urbe Nicopolis dicta, hiemare, quam ad urbem Titus etiam venturus esset, postquam Arteman vel Tychicum ad eum venissent, secundum cap. III: 12. Denique e capite III: 13 sequitur, apostolum consuetudinem jam junxisse cum Apollo, de quo sermo est in act. cap. XVIII: 24. Deinde statuere licet Paulum non diu postquam Titum reliquit, hanc epistolam scripsisse; non enim verosimile est, apostolum per longum temporis spatium, Titum nihil monuisse de iis, quae in insula Creta essent agenda. Quaestio autem oritur, quam urbem Nicopolin Paulus designare voluerit, nam complures sunt hujus nominis urbes.

Nonnulli putant fuisse Nicopolin in Cilicia¹. Sed haec fuit urbs satis parva, et sita haud procul a majore urbe Tarso. Vix igitur credibile est, Paulum hac in urbe hiemare voluisse. Alii putant fuisse Nicopolin in Thracia; sed quia urbs Philipporum prope aberat, non magis hoc credi potest. Quam ob rem assentimur iis viris doctis, qui statuunt fuisse Nicopolin in Epiro, urbem satis amplam². Valde autem viri docti dissentiunt, quod attinet ad tempus, quo apostolus hoc iter Cretense perfecit, et hanc epistolam scripserit, quas sententias diversas primo recensere volumus, antequam nostram sententiam exponamus.

¹ Sic SCHRADER, HUG, HEMSEN, WURM, CREDNER.

² Sic PALEY, HEYDENREICH, WIESELER, SCHAFF, HUTHER, WIESINGER, SCHOLTEN alii.

Primo loco in censum venit sententia Capelli¹, qui putat, Paulum hoc iter perfecisse, quum secundum act. cap. XV: 41. Syriam et Ciliciam peragraret, et ex hac regione in Cretam transiisse, inde se contulisse Derbas et Lystras. Deinde nobis occurrit MICHAËLIS² sententia, putantis Paulum in Cretam abiisse intra illud temporis spatium, quod Corinthi degeret. Tum in Creta Titum reliquit, et Corinthum revertens apostolus, tempestate orta, in Epirum venit, qua in regione hanc ad Titum epistolam scripsit. Denique audimus EUGIUM³ et HEMSENIUM⁴, qui statuunt apostolum in Creta fuisse, quum Corintho profectus, secundum act. cap. XVIII: 18., Ephesum adiret. Etiam secundum eos apostolus in Cretam tempestate coactus venit, et postea hiemare voluit Nicopoli in Cilicia. Nonnulla autem, eaque satis gravia dubia, hisce sententiis obstant.

Primae enim repugnat, quod act. scriptor accuratius iter Pauli describit (act. XV: 41 et XVI: 1 sqq.) ita ut vix credi possit, cum iter in Cretam, si tunc factum fuisset, omisisse. Nec minus MICHAËLIS sententiae act. apost. narratio adversatur, quam plane rejicere deberemus, si hanc sententiam defendere vellemus, nam scriptor copiose non tantum publi-

¹ LUOD. CAPELLI, *Hist. Apost.*

² *Eiml.* tom. 2^o.

³ *Eiml.* pag. 346 sqq.

⁴ l. l. pag. 193 sqq.

cam sed etiam privatam apostoli conditionem narrat. Mirum igitur esset, si nihil quidquam narrasset de Paulo in Cretam itinere, tanto cum successu peracto. Quomodo etiam narrare potuit scriptor, apostolum mansisse ἐνιαυτὸν καὶ μῆνας ἕξ, si per aliquod tempus in Creta degit?

Neque HUGII vel HEMSENIII sententia placet, nam quamquam Euangelii in Creta annuntiatio, optime convenit cum Pauli itinere Corintho in Syriam, multa tamen utriusque conjecturae repugnant et quidem (quia tantum gravissimas causas enumerare volumus) primo loco, quod illi viri docti Paulum, Nicopoli in Cilicia hiemasse statuunt, quod, ut supra vidimus, minus est probabile. Imprimis autem tribus hisce sententiis diversis id objiciendum esse censemus, quod ex epistola ad Titum patet, Paulum jam cum Apollo consuetudinem iniisse, quum ex act. sequatur eum Paulum nondum vidisse.¹ Eam quidem ob causam tres illas sen-

¹ Quod autem negant HUGIUS et HEMSENIUS, quam ob causam contra eos nostra sententia est defendenda. Hi nempe putant verba cap. XIX : 1. sic esse reddenda: quum Apollo esset Corinthi, Paulus peragrabat regiones superiores et Ephesum venit, quibus e verbis uterque efficit, Paulum una cum Apollo Ephesi fuisse, et ex illa urbe alterum Corinthum, alterum in Syriam abiisse. Statuit enim HUGIUS, si verba: διελθόντα τὰ ἀνωτερικὰ μέρη ἔλθειν εἰς Ἐφεσον significarent μετὰ τὸ διελθεῖν — ἔλθειν tum sic scribere auctor debuisset: διελθούσθα — ἔλθειν. Vix autem negari potest Aoristum in narratione pro plusquamperfecto poni posse (cfr. WINER I. I. pag. 246) et liber act. multa praebet huiusmodi exempla, sic e. g. cap. XIX : 21. cap. XX : 2 etc. Etiam

tentias amplecti non possumus, neque quam CREDNERUS defendit, Paulum hoc iter Cretense fecisse, quo tempore secundum act. cap. XVIII: 23. Galatiam et Phrygiam peragraret.

Pervenimus nunc ad sententiam eorum, qui putant Paulum hoc iter fecisse, quum per tres fere annos Ephesi commoraretur (Act. XIX: 1 sqq.)¹ Diverse hac de re egerunt WIESELERUS, SCHAFFIUS, REUSSIUS, singulatim igitur singulas sententias investigemus necesse est.

Secundum WIESELERUM Paulus hoc iter fecit, quum, postquam per duos annos Ephesi fuit, secunda vice Corinthum adiret, et quidem per Macedoniam, ubi I^{em} epistolam ad Tim. scripsit, porro

si illorum explicationi adstipularemur, hinc nondum sequitur, Paulum una cum Apollo Ephesi fuisse, nam Epheso profectus, Paulus Hierosolyma petiit et tum Antiochiam, qua in urbe aliquamdiu degit. Non igitur tam cito iter suum per τὰ ἀνωτερικὰ μέρη facere potuit, et omnia, quae nobis de Apollo narrantur, optime facta esse possunt, antequam Paulus illud iter fecit. Neque explicatur, quare tantum Aquila et Priscilla memorentur, ita ut Pauli ne verbo quidem mentio fiat. Revera si act. narrationem sine praecipitata opinione legimus, patet Apollo Ephesum venisse, postquam Paulus erat profectus, et Corinthum petiisse, antequam Apostolus Ephesum rediit, ut jam monuit WIESELER (l. l. pag. 345. 345. Copiose HUGII sententiam refutavit BOEHL. l. l. p. 137 sqq.)

¹ Sic imprimis SCHMIDT, SCHRADER, ANGER, WIESELER, SCHAFF, REUSS quum autem SCHMIDT et SCHRADER statuunt, Paulum Nicopoli in Cilicia hiemare voluisse, quam sententiam jam supra rejecimus, hoc loco imprimis WIESELERI, SCHAFFII, REUSSII sententiam considerare volumus, quam WIESELER summa sagacitate defendit.

Corinthum, denique in Cretam, qua in insula Titum reliquerit, quum ipse Ephesum reverteretur, ubi epistolam ad Titum scripserit. Putat enim WIESELERUS Paulum hoc iter Cretense perficere jam in animo habuisse, quum Timotheo scriberet (I Tim. III: 15): *ἐὰν δὲ βραδύνω*, sed quamquam rejicimus, quae ille vir doctus scripsit de tempore scriptae I^s ad Tim. epistolae, vel sic tamen, etiamsi illa vera essent, non putaverim illud iter hisce verbis indicare voluisse apostolum, quum ne verbo quidem de hoc itinere monuerit. Hoc etiam animadvertendum, apostolum, etiamsi illud iter Corinthiacum eo tempore perfecit, non tamdiu ex urbe Ephesi abfuisse, ac WIESELERUS ponat necesse est, quum per Macedoniam Corinthum adiit, ex illa urbe in Cretam, qua in insula per aliquod tempus morari debuit, ut Euangelium annuntiaret, ita ut Titum *κατὰ πόλιν* presbyteros instituere jubere potuerit. Tum mirari quis jure suo potest, quod in nulla epistola vel ante ejus captivitatem vel in illa captivitate scripta, ne verbo quidem ecclesiarum Cretensium mentio fiat. Imprimis hoc exspectaremus in I^{re} ad Corinthios, non tam diu post illud iter conscripta, sed nihil hac de re audimus.

Ad suam sententiam commendendam WIESELERUS multa rejicere debet sine ullo argumento historico. Sic exempli gratia statuit,¹ Titum a Paulo Ephesum esse revocatum, ut eum Corinthum mitteret,

¹ I. I. pag. 349.

quamquam ex epistola ad Titum patet, apostolum voluisse, Titum Nicopolin venturum esse; quo jure WIESELERUS putat Paulum hoc consilium mutasse? Multa in act. apost. sunt ommissa, hoc semper in ore habent multi interpretes; sed si tali modo hac veritate abuti volumus, revera quidquid velimus probare possumus. Deinde WIESELERUS contendit, hoc gravissimum fore sententiae argumentum, si probari potuit, vel Tychicum, vel Arteman Titum comitatum fuisse, quum Corinthum adiret¹. Mihi autem hoc argumentum non tam grave esse videtur; vix enim credibile apostolum voluisse ecclesias Cretenses sibi ipsis relinqui, in quibus tot erant hostes, quos describit cap. I: 10, quum probat se bene Cretensium indolem novisse. Multo verosimilius igitur est habendum, Tychicum, quem WIESELERUS putat, Paulum misisse ut cum Tito, Ephesum reverso, Corinthum peteret, ab apostolo in Cretam missum esse, ut Titi locum occuparet, quum Paulus Titum solum jubet ad se reverti (cap. III: 12 *σπούδασον*), et sic Tychici comitatus plane contrarium probaret. E WIESELERI sententia, apostolus fere statim post hanc epistolam scriptam Tychicum mittere debuisset, qui Titum juberet non Nicopolin venire sed Ephesum petere.

WIESELERUS autem statuit epistolam ad Titum

¹ l. I. pag. 349. Eine sehr frappante Bestätigung unserer Annahme . . . würde daher der Nachweis sein, dass einer von den genannten beiden den Titus wirklich auf seiner ersten Mission nach Korinth begleitete.

scriptam esse paullo post tempus paschale, quum Paulus ipse, tempore pentecostes, ¹ Epheso proficisci vellet. Speraverat autem apostolus, secundum 2^{am} ad Corinthios epist. cap. II: 12, fore ut Titus ipsi in urbe Troade obviam veniret. Apostolus igitur Tychicum in Cretam misisset, is cum Tito reversus esset Ephesum, unde se Corinthum contulerunt, et postquam ibi munus suum perfecerat Titus, Troadem adire debuit. Utrum autem haec omnia intra tam breve temporis spatium fieri potuerint, dubitare licet. Et recte jam monuit HUTHERUS ² vix esse credibile, apostolum in animo habuisse in urbe hiemare, in qua antea nondum fuerat, ut ipse WIESELERUS concedit.

Hic autem putat, Paulum illud Nicopoli hiemandi consilium jam Ephesi cepisse, cujus sententiae praesidium quaerit in iis, quae apostolus in 1^e ad Cor. epist. dixerat, se apud eos velle hiemare ³. Deinde probat Nicopolin ad provinciam Achajam pertinere, et quum illa epistola ad omnes, in Achaja christianos, scripta sit, WIESELERUS credit, optime accipi posse apostolum illud consilium hisce verbis annuntiare. Scite autem eum refutavit HUTHERUS. Jure suo is rogat, quomodo apostolus hoc loco ad urbem attendere voluerit, in qua nondum fuerit. Tum, epistola primo loco ad ipsos

¹ l. l. pag. 355.

² l. l. pag. 21. qui gravia argumenta contra WIESELERI sententiam adduxit.

³ I Cor. XVI: 6.

Corinthios missa est; quomodo autem tunc apostolus scribere potuit, se apud eos fortasse hiematurum esse, si hoc Nicopoli facere voluit, cujus urbis incolae epistolam ne viderent quidem, neque incolae verosimiliter christiani erant; et etiam illa urbs tam longe a Corintho aberat? ¹

WIESELERUS etiam consilium apostoli quodammodo mutare cogitur. Ponit enim Paulum tantummodo per duos menses Nicopoli mansisse. ² Quod si res sic sese habuit, in media hieme iter illud satis longum, Nicopoli Corinthum, perficere debuit. Apostolus autem, etiam in 1^{re} epist. ad Cor. promiserat, se apud eos velle hiemare et sic pergit cap. XVI : 7 : οὐ θέλω γὰρ ὑμᾶς ἄρτι ἐν παρόδῳ ἰδεῖν· ἐλπίζω γὰρ χρόνον τινὰ ἐπιμεῖναι πρὸς ὑμᾶς, εἴαν ὁ κύριος ἐπιτρέπη. Scimus autem apostolum per tres tantum menses in Achaja degisse, sin vero per duos menses Nicopoli fuerit, et si hisce mensibus addamus iter, quod ei erat faciendum, tum per nonnullos tantum dies apud ceteros Achaicos fratres morari potuit, qui eum etiam nunc tantum ἐν παρόδῳ videre potuerunt, (haec enim verba tantum spectare possunt ad eos, quos antea viderat) et quomodo hoc convenit cum apostoli promisso? Neque valet quod Paulus in Epist. ad Romanos c. XV : 19 scripserit, se Euangelium annuntiasse : μέχρι τοῦ

¹ Cff. HUTHER, l. l.; SCHOLTEN, l. l. pag. 299.

² l. l. pag. 354.

Ἰλλυρικοῦ. Nimirum, his verbis non aperte dicitur apostolus revera in Illyria fuisse, sed illum tantum ad Illyriae fines penetrasse, quae explicatio melius quadrat in act. narrationem, cap. XX: 2 διελθὼν τὰ μέρη ἐκεῖνα κ. τ. λ.

Eodem fere modo hac de re egit SCHAFFIUS,¹ quamquam non patet quid de Pauli Nicopoli commemoratione censeat, de qua brevibus tantum et indefinitis verbis egit.² Quandoquidem autem postea WIESELERI indagacionem valde laudat, verosimile est, eum huic sententiae assensum praebuisse; quod tamen, quominus et nos faciamus, cuncta, quae huc usque disputavimus, prohibent.

Pergamus nunc ad REUSSII sententiam exponendam et dijudicandam, quodammodo a WIESELERI sententia diversam. Etiam hic iter Cretense conjungit cum apostoli secundo Corinthiaco itinere; putat autem apostolum, Epheso profectum, statim in Cretam abiisse.³ Apollo autem, sic vult REUSSII, Paulus Corinthi viderit; cui Ephesum petenti dederit apostolus hanc Epistolam ad Titum, et hoc esset Apollo iter, quod memoratur in epist. ad Titum cap. III: 13. Corintho profectus, per Mace-

¹ l. l. pag. 351.

² Sic nempe: „en was hij eenmaal (l. eens) in Illyrie, dan leidde reeds zijn naaste weg naar Corinthe hem over Nikopolis.

³ l. l. Paul... avait choisi cette fois une autre route, en passant d'Asie en Europe, que celle qu'il avait suivie la première fois. Il avait touché à l'île de Crète mais sans s'y arrêter longtemps.

doniam Ephesum adire voluit Paulus, sed hoc non tantum fecit sed etiam in Illyriam ivit, et Nicopoli in Epiro hiemavit, tum visitavit urbes Thessalonicam, Philippos et Trojadem, denique Ephesum rediit. Titum autem jusserat Nicopolin venire per Tychicum vel Artemam, quibus apostolus per Cretam Ephesum petere injunxerat. Sic autem, secundum illud Pauli iter Corinthiacum incredibili modo extenditur, quod patet, si ad iter quod perfecit apostolus, attendimus. Primo enim loco in Cretam abierit, ubi per aliquod tempus degerit, inde Corinthum adierit, ubi etiam per aliquod tempus manserit,¹ tum Nicopoli hiemaverit, in urbe ubi nondum fuit, et si ibi revera hiemaverit certe tres menses degit, deinde Euangelium annuntiat in Illyria, visitat Thessalonicam, Philippos et Trojadem et tunc Ephesum revertitur. Si ad haec omnia attendimus, non valde difficile est dijudicatu, utrum REUSSIIUS jure an immerito dixerit: ² eo modo feliciter (?) esse explicatas duas epistolas, sine alterius captivitatis ope.

Sequatur sententiae eorum examen, qui statuunt apostolum hoc iter in Cretam fecisse et epistolam scripsisse, quo tempore, postquam Epheso profectus, Macedoniam et Hellada peragraret (act. cap. XX:

¹ Corinthi per aliquod tempus morari debuit, si illud iter re vera vocari mereretur iter Corinthiacum; nam aliter melius vocaretur iter ad Cretam et ad urbem Nicopolin.

² l. l. pag. 156: voilà donc deux de nos trois épîtres heureusement (?) casées, sans le secours de l'hypothèse que nous combattons.

1—5.) Sed inter se dissentiunt, utrum Paulus hoc iter fecerit antequam in Graeciam abierit, an postquam in Graeciam venerit. THEODORETUS,¹ BARONIUS,² LIGHTFOOTUS,³ HAMMONDUS,⁴ ZACHARIAE,⁵ HEINRICHSIUS⁶ statuunt Paulum hoc iter fecisse ante ipsius in Graeciam iter, ex Macedonia igitur; sed quia etiam tum dissentiunt, eorum diversae sententiae, licet breviter, seorsim tamen a nobis sunt tractandae et considerandae. Scimus apostolum Tito, quem Corinthum miserat, obviam venisse in Macedonia. Ex altera autem ad Cor. epist. vidimus, Paulum eum statim Corinthum remisisse⁷. Hoc igitur iter factum esset, postquam Titus munus suum Corinthi perfecerat; ergo secundum viros doctos supra commemoratos, Titus ad apostolum in Macedoniam reversus esset, cui autem sententiae obstat, quod legitur 2^a ad Cor. cap. IX : 4, 5. Secundum eos apostolus ex Creta in Hellada abiit, et nunc BARONIUS putat, Paulum ad Illyriam venisse et Nicopoli in Epiro hiemasse, postea se Corinthum contulisse, et porro in Macedoniam sec.

¹ *Praef. in Epist. Paul.*

² *Annales.*

³ *Chronicon N. T.*

⁴ *Paraphr.*

⁵ *Kurze Erklärung.*

⁶ *Ad Tim. Tit. et Philem.*

⁷ Baronius hoc negat, putans hanc epistolam Nicopoli a Paulo esse conscriptam, sed nostra sententia vix negari potest, si attendimus ad cap. VIII : 16—24 et IX : 3—5.

act. XX:3. E loco ex act. apost. citato autem sequitur, apostolum per tres tantum menses in Helade commoratum esse, et per hoc temporis spatium nullo modo haec omnia perficere potuit, quum denique valde dubitamus utrum apostolus tale itineris consilium inierit.

Neque LIGHTFOOTI sententia plus habet, quo se commendat. Hic statuit apostolum postquam ex Creta in Graeciam venisse, propter Judaeorum insidias non in Syriam, sed in Macedoniam abiisse, et epist. ad Titum scripsisse vel in itinere vel in Macedonia, ubi Nicopoli hiemare voluerit; ut autem jam vidimus Nicopolis in Macedonia in censum venire non potest. Pergit autem LIGHTFOOTUS statuendo, Paulum post hiemem Titum cum duobus sociis Corinthum misisse cum altera ad Cor. epist., et ipsum cum Luca Philippis profectum, Corinthum petiisse (Act. XX:6) quum ceteri Trojadem adibant. Corinthi per nonnullos dies mansit, et quinque dies post socios, Trojade venerit. Unusquisque autem videt hoc nullo modo fieri potuisse, quod probare non opus erit¹.

Agemus nunc de earum sententiis, qui credunt, apostolum hoc iter fecisse, postquam in Graeciam venisset. Sic statuunt: ZACHARIAE, HEINRICHSIUS, MATTHIESIUS.

HEINRICHSIUS putat, Paulum postquam Cretam visitaverat, in Graeciam abiisse et inde in Macedo-

¹ Cf. de hisce sententiis BOEHL. l. l.

niam, vel statim in Macedoniam. Quum Trojade venisset, consilium suum in Judaeam abeundi mutavit, et varias Asiae Minoris ecclesias visitavit, et postea Nicopoli in Macedonia hiemare sibi proposuit, et hoc consilio inuito, Trojade epistolam ad Titum scripsit. Postea autem consilium suum mutavisset, et statim Hierosolyma abiisset. Haud facile tamen quis hoc credet, qui secum reputaverit, Paulum jam Ephesi consilium cepisse Hierosolyma adeundi (act. XIX: 21), quod consilium etiam Corinthi habuit (Rom. XV: 25). Deinde HEINRICHSIUS contendit, apostolum Nicopoli in Macedonia hiemare voluisse, quae sententia autem, ut vidimus, falsa videtur.

ZACHARIAE alio modo sibi hoc iter informavit. Paulus, sic vult, e Creta profectus, Achaïam petiit, ubi epistolam ad Titum scripsit; postea se in Epirum contulit usque ad Illyriae fines, Nicopoli in Epiro hiemare in animo habuit, postea in Macedoniam abiit, et Philippis profectus, Hierosolyma adiit.

Paulum autem eo tempore iter in Illyriam non fecisse constat, si tantum in memoriam revocamus, eum illud iter jam perfecisse, quum Corinthi epistolam ad Romanos scriberet et porro tempus ei defuisset, nam per tres tantum menses in Graecia mansit secundum act. cap. XX: 3. Hoc etiam tenendum, quod WIESELERUS¹ probavit, tres menses per

¹ l. l. pag. 338.

quos in Graecia commoratus est apostolus, fuisse menses hiemales. Sin autem Paulus brevi ante eos menses iter in Cretam fecisset, quomodo scribere potuit: ὅταν πέμψω Ἀρτεμᾶν πρὸς σε ἢ Τύχικον, σπούδασον ἐλθεῖν πρὸς με εἰς Νικόπολιν, ἐκεῖ γὰρ κέκρικα παραχειμάσαι (Tit. III:12). Per illos menses iter fieri non potuit, nam per hiemem mare erat clausum, et post illos menses quam celerrime Hierosolyma adire in mente habuit, quia consilium suum mutare, per Judaeorum insidias, coactus erat. Nullo igitur modo hocce iter eo tempore locum habere potuit.¹

Etiam haec epistola igitur scripta esse non potest ante Romanam captivitatem, quam act. narrant,

¹ De BOTTGERI sententia, non agemus. nullo enim historico fundamento nititur, sed tantum multis hypothsibus. MATTHIESII sententia satis iis refutatur, quae supra jam monuimus, ita ut non opus sit hanc sententiam speciatim tractare. Qui hac de re nonnulla legere cupit, conferat quod scripsit WIESINGER, l. l. pag. 265 sqq.

Hic etiam paucissimis tantum verbis GROTII sententiae mentionem faciamus; cujus sententiam, quantum scio, recentissimo tempore, nemo defendit. Putat ille Paulum in Creta Euangelium annunciasse, quum, captivus Romam adiens, Cretam appelleret, et postea Romae, quum esset liberatus, litteras ad Titum scripsisse. Quomodo autem Lucas hoc omittere potuerit non explicatur; neque credibile, Paulum captivum Euangelium in Creta annunciare potuisse, quod autem prorsus ei faciendum fuisset, si jure Tito vellet mandare κατὰ πόλιν presbyteros instituere. Cur denique apost. post plus quam duos annos Tito demum scripserit, non explicatur, nam captivus scribere non potuit, se consilium Nicopoli hiemandi cepisse.

neque Paulus iter Cretense ante illud tempus perficere potuit. Quam ob rem, si re vera haec epistola Paulum habet auctorem, concedendum est, hoc iter locum habuisse post Romanam captivitatem, id est, postquam apostolus e captivitate Romana, de qua act. agunt, liberatus erat.

CAPUT III.

De altera ad Timotheum epistola.

Ante omnia nobis est inquirendum, quo loco haec epistola scripta sit. Nonnulli tantum sunt, qui statuunt Paulum hanc epistolam scripsisse, quo tempore Caesareae captivus fuerit.¹ Huic sententiae autem obstat, apostolum ipsum cap. I:17. Romam denotare tanquam locum, ubi tunc morabatur; vix enim locus ille alio modo intelligi potest, nisi contortam habeamus explicationem.² Uti jam vidimus in epist. ad Philippenses tractanda, apostolus Caesareae vix exspectare potuit vitae finem; neque probari potest in hac captivitate tot amicos eum adire potuisse. Nomina etiam, quae cap. IV:21 enumerantur, Romam denotare videntur. Pauca haec sufficiant ad sententiam refutandam, cui multi viri docti sese opposuerunt³ Quaestio autem oritur

¹ Sic OEDER: *de loco et tempore etc.* TIERSCH: *die Kirche im Apost. Zeitalter.* MATTHIES, l. l. BÖTTGER: *Beitr.* Abth. 4.

² BÖTTGER legere vult l. e. ἐν ᾧ (sc. τέρμα) sed quo jure?

³ BÖHL, l. l. pag. 52. WIESINGER, l. l. pag. 569. WIESELER,

ubinam Timotheus, ad quem haec epistola est scripta, moratus fuerit. Nonnulli eum Ephesi fuisse contendunt, cui tamen sententiae nonnulla objici possunt,¹ ita ut nobis probabilior esse videatur sententia, eum in loco quodam Asiae Minoris degisse. Utrum vero altera ad Tim. epistola ante reliquas in Romana captivitate composita sit, an post eas omnes, majoris ponderis quaestio est.

Hanc epistolam omnium primam compositam esse, multi statuunt. HUGIUS autem contendit eam post epistolam ad Ephesios, sed ante reliquas in captivitate scriptas esse compositam. Primo loco priorem sententiam consideremus, quam imprimis SCHRADERUS strenue defendit. Contendit hic, Paulum neque 2 Tim. III: 6—8 neque Phil. II: 17, mortem suam praedixisse. Quis vero discrimen non videt inter duos illos locos? In epist. ad Phil. l. l.

l. l. pag. 414 et 415. GUERICKE, *Beitr.* pag. 117 et *Gesammitgesch.* pag. 365. HEIDENREICH, l. l. Tom. 2. HÜTHER, l. l. pag. 22. HUG, l. l. pag. 414. SCHAFF, l. l.

¹ Apostolus enim cap. IV: 12 cum Timotheo communicat, Tychicum a se Ephesum missum esse, quod, si Timotheus eo tempore in illa urbe fuerit, non opus erat, quia verisimile est, Tychicum in illa urbe jam venisse, antequam Timotheus hanc epistolam acceperit; certo certius hoc argumentum valet ad WIESELERI sententiam refutandam (l. l. pag. 428 et 462), quia tunc Paulus prorsus ea non addidisset verba „Tychicum Ephesum misi (cap. IV: 12),” quod Tim. suis ipsius oculis videre potuit, quum praeterea apost. Timotheum jubeat (cap. IV: 13) *φελόννην* adducere, qui erat apud Carpum, probabilius videtur Timotheum Ephesi non commoratum esse.

apostolus indicare vult, quo animo esset, si forte interficeretur (*εἰ δὲ καὶ σπένδομαι*) quum in 2 Tim. l. l. totidem verbis mortem suam instantem annuntiet, dicens: *ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι*; nullam liberationis spem habet, quam ob causam dicit: *τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγωνίσμαι, τὸν δρόμον τετέλεκα* (cap. IV: 7). Quomodo quis, hunc locum sine praejudicata opinione legens, hoc negare possit, me non intelligere confiteor.¹ Deinde si ponamus, illam epistolam initio hujus captivitatis Romanac esse scriptam, itidem statuamus necesse est, statim post ejus adventum multos amicos apostolum visitasse, qui autem mox eum reliquerunt, quia malum exitum praevidebant. Bene autem monuit WIESELERUS, non verosimile esse, priorem illam *ἀπολογία* tam cito post apostoli adventum locum habuisse. Neque probabile, tot amicos statim ad apostolum confluisse, ut eum rursus mox dereliquerent.

SCHRADERUS² quidem contendit, Paulum, quum Corinthi fuisset, Demam, Crescentem, Titum jussisse, statim Romam petere, quod etiam fecissent; postquam autem diu apostolum expectaverant, ejus captivitatis Caesareënsis certiores facti sunt, et tunc

¹ Hinc vero non sequitur, Paulum indicare voluisse, eam mortem statim locum habituram esse; tum revera stultum egisset, si ante hiemem Timotheum revocasset; sed optime scire potuit, quum priorem *ἀπολογία* jam habuisset, alteram non tam cito locum esse habituram, quam ob rem jure Timotheum revocare potuit.

² l. l. pag. 197.

Demas Thessalonicam abiit, Crescente et Tito hac in re apostolo obedientibus, quod alter in Gallatia, alter in Dalmatia Euangelium annuntiaverit. Sed quo fundamento haec hypothesis nititur? Num verosimile est, neque apostolum, neque Timotheum hac de re aliquid audivisse, quum Caesareae Paulus fuisset captivus, quam ob causam apostolus scribere debuit, quod Timotheo annuntiat in hac epistola (cap. IV : 10) *Δήμας ἐπορεύθη εἰς Θεσσαλονίκην* etc., quia Romam veniens tum demum hoc audiverat? Apostolus autem etiam scripsit: *Δημᾶς με ἐγκατέλιπεν*. Jam vero quandoquidem ipse autem SCHRADERUS statuit,¹ Thessalonicenses, ad quos Demas se contulerat, nullo modo hoc iter probasse; Demam statim poenitentem Caesaream ad apostolum se contulisse (quamquam de illa poenitentia nihil legitur) quam duobus tribusve annis post, nonne multo probabilius videtur?² Nonne verosimilius, Paulum jam Caesareae de Demae itinere aliquid audivisse?

Practerea statuit SCHRADERUS Pauli conditionem, quum Timotheo scriberet, eandem fuisse ac illam, quae in act. apostol. describitur, et hac in re etiam alii

¹ I. I. pag. 186.

² SCHRADER enim putat Demam, quum Timotheus cum Marco aliisque ad apostolum iret, una cum iis Romam petiisse, quum dicit I. I. pag. 186: „Und wenn Timotheus und die übrigen, zu Paulus reisende Gehülfen, ihren Weg von Troas über Philippi und Thessalonich nahmen, wass konnte dann den reumütichen Demas abhalten, sich diesen anzuschliessen.“

cum eo faciunt,¹ quod nos autem plane negamus. Nunc enim ipse scribit apostolus, se esse constrictum tanquam *κακοῦργον*; et si ejus conditio tam felix fuerit, quare eo tempore omnes ejus socii et amici eum dereliquissent? Deinde scripsit Paulus se Tychicum Ephesum misisse, quem igitur patet secum Romae habuisse, et quia in Epist. ad Ephesios, Paulus Tychicum in Asiam missurus esse legitur (Eph. IV:21), statuendum est, si SCHRADERI sententia vera esset, eum Romam rediisse et statim in Asiam remissum esse. Alio etiam modo SCHRADERUS hanc rem tractat, contendens apostolum, Caesarea profectum, Romam petentem, Tychicum Ephesum misisse, qui omnes Asiae Minoris ecclesias visitaret, et tum Ephesum adiret, quod Paulus nunc eo consilio cum Timotheo communicat, ut hic una cum Tychico Romam veniat.² Sed unde SCHRADERUS haec omnia hausit? Nihil quidem hac de re legitur, et nonne verosimilius est, Paulum tum Timotheo diserte scripsisse, se eam ob causam Tychicum Ephesum misisse?³ Quid autem significant salutationes hominum, quos apostolus nominatim enumerat (2 Tim. IV:21) si Timotheus Romae nondum fuerat? Ad eas quaestiones non respondetur. Lucam autem de Tychici adventu nihil narrare, contra nostram sententiam

¹ Ex. c. GUERICKE l. l.

² l. l. pag. 200.

³ Cf. WURM, l. l. pag. 100.

afferri nequit; nam etiam alii socii ab apostolo memorantur (2 Tim. I: 15. 16), de quibus nihil narratur.

HUGIUS¹ autem putat, uti jam verbo monuimus, hanc epist. post epist. ad Ephesios esse compositam, quia tunc Timotheus cum Paulo non degebat. Lucas apostolo aderat, uti etiam II Tim. II: 14, Marcus vero nunc abfuit, postea autem advenit (Col. IV: 10; Philem. 24); Tychicus ab apostolo in Asiam mittitur (Eph. VI: 21; Col. IV: 7) quum ex II Tim. idem sequitur.

Jure suo autem WIESELERUS² monuit, ex iis etiam sic concludi posse. Marcus et Timotheus quorum discessus Col. IV: 10; Phil. II: 19; annuntiatur sec. alteram ad Tim. absunt, sed Romam revocantur, cui sententiae id favere videtur, quod ex iisdem regionibus revocentur, in quas profecti sunt. Deinde contra HUGIUM moneri potest, quod de Dema narratur, nam verosimile non est, eum ad apostolum captivum rediisse, quod si locum habuisset, apostolum, qui antea de ejus discessu erat questus, in aliis epistolis magno cum gaudio hujus reditus memorasse, valde probabile est. Denique contra HUGII aliorumque sententiam omnia valent, quae contra SCHRADERUM, de Pauli conditione et expectationibus et ἀπολογία, jam in medium protulimus. Pauca haec sufficiant ad sententiam confirmandam, hanc epistolam, eo tempore, quo HUGIUS putat, minime esse compositam.

¹ l. l.

² l. l. pag. 424.

Plerique alii putant hanc epist. post ceteras in captivitate, cujus in act. apost. mentio fit, esse conscriptam, et quidem quo tempore mors ei jam immenebat. Sed etiam huic sententiae gravia obstant argumenta, quae magis pro altera captivitate pugnare videntur. Nonnulla enim epistola continet, quae ab alterius captivitatis adversariis bene explicari non possunt.

Sic quidem primo loco in censum venit II Tim. IV: 13: τὸν Φελόνην, ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ, ἐρχόμενος Φέρε, καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα τὰς μεμβράνας.¹ Quocumque modo vocabulum „Φελόνης” sit explicandum, hoc satis constat, Paulum illum Φελόνην Troade reliquisse. Concedere quidem volumus SCHRADERO,² statuenti ex illis indiciis minime effici posse, quamdiu ibi remanserint Φελόνης et μέμβραναι; attamen haud verosimile, apostolum eas ibi per quatuor annos reliquisse.³

WIESELERUS⁴ autem contendit, facile fieri potuisse, ut apostolus eas, quum sec. Act. XX: 6. Tro-

¹ WIESELERUS, l. l. pag. 423, putat Φελόνην significare „the-can,” quod secundum eum effici potest ex iis, quae sequuntur: τὰ βιβλία κ. τ. λ. Contrarium autem potius illa verba denotant alioquin enim libri seorsum non quaererentur, et potius legeretur, ut recte jam monuit WIESINGERUS: ἐν τῷ Φελόνῃ vel τὸν Φελόνην σὺν etc. (Off. DE WETTE, ad l. BENGEL, ad l.)

² l. l. pag. 188.

³ Ut vidimus SCHRADER perperam statuit, alteram epistolam ad Timotheum primam esse, quam apostolus Romae scripsit.

⁴ l. l. pag. 423 et etiam SCHAFF, l. l. pag. 353 sqq.

ade fuit, vel negligentia vel de industria apud Carpum reliquisse. Primo casu posito, contendit WIESELERUS, Paulum huc usque occasionem, eas repetendi¹ non habuisse, vel, quum speraret, fore ut liberaretur, neglexisse.

Quod ad primum attinet argumentum, parum probabile est. Ex epistolis enim in captivitate Romana conscriptis, satis patet, apostoli amicos saepe ad eum venisse, et de Tychico constat eum Ephesum adiisse.² Quâ de caussa tunc apostolus has res repeti non curavit? Tychicus enim Ephesum adiens hoc aequè facile perficere potuit ac Timotheus, qui, e sententia WIESELERI, eo tempore, quo apostolus eas quaesiverit, etiam Ephesi fuit.

Sed, objicit WIESELERUS, sperabat apostolus, fore ut liberaretur. — Quando autem hanc spem fovit? Quum jam satis diu Romae degisset; quare igitur Caesareae morans, non a Carpo quae reliquerat, postulavit; nam si fortasse illa documenta ei utilia esse potuissent in ejus defensionem, jam Caesareae iis uti potuit.

Sed ea documenta, hoc WIESELERO magis verosimile esse videtur, apostolus de industria Troade apud Carpum reliquit, ut Carpus iis uti posset, et sic nemo mirari potest, apostolum ea nunc tandem per Timotheum repetivisse. — Hoc autem argumen-

¹ Sic etiam HEMSEN, l. 1. pag. 702.

² WIESELERUS enim etiam statuit, Tychicum Roma bis profectum, Ephesum petiisse.

tum nullo historico fundamento fulcitur,¹ et etiamsi hoc verum esset, tamen non est probabile, Carpum illa documenta per quatuor annos retinuisse, nam tam diuturni temporis usus haud requirebatur, quod etiam eo minus credibile est, quo magis apostolus iis uti potuerit.² E quibus omnibus patet, omnes explicationes eorum, qui alteram Pauli captivitatem negant, admitti non posse.

Alius locus nobis tractandus, legitur cap. IV: 20: "Εραστος ἔμεινεν ἐν Κορίνθῳ, Τρόφιμον δὲ ἀπέλιπον ἐν Μιλήτῳ ἀσθενοῦντα."³

WIESELERUS et SCHAFFIUS hunc locum sic explicare volunt: Erastus contra meam expectationem et admonitionem Corinthi mansit. Hoc autem non solum nusquam legitur, sed etiam contextus huic explicationi et additamentis minime favet.⁴ Deinde contra WIESELERUM et alios, putantes illum Erastum eundem fuisse, qui occurrit in epist. ad Rom., verba valent, quae adduntur: ἐν Κορίνθῳ; nam si ille Erastus Corinthi esset οἰκονόμος, non opus erat locum indicare, ubi ille remanserit, quum

¹ Cf. HUTHER, l. l. pag. 23.

² Cf. LANGE, l. l. 373.

³ Utrum Erastus, cujus hic mentio fit, idem sit ac ille, cujus nomen occurrit in epist. ad Rom. XVI: 23 in dubiis est, quum in act. XIX: 23. Erastus unus τῶν διακονούντων αὐτῷ (nr. Παύλῳ) vocatur; in epist. ad Rom. l. l. autem οἰκονόμος τῆς πόλεως nominatur; utrum autem ille οἰκονόμος simul esse poterit unus τῶν διακονούντων, probandum esset. (Cf. WIESINGER, l. l. pag. 683 contra WIESELER et SCHAFF).

⁴ Cf. etiam DE WETTE ad l. contra HUG.

Timotheus hoc bene intelligere potuisset, et eodem prorsus rediret, num Corinthi an in alia urbe mansisset; apostolus enim hoc imprimis urgere vult, Erastum sibi non adesse, ita ut illa verba „ἐν Κορίνθῳ” WIESELEBI sententiae magis adversentur, quam faveant.¹ Huic sententiae non probatae jure nostram explicationem opponere possumus: Erastus me non est comitatus, sed Corinthi remansit, quae explicatio etiam melius quadrat in contextus orationem et in verbum ἔμεινε, quum aliter Paulus melius fecisset, si scripsisset: Ἐραστός οὐκ ἦλθεν vel tale quid; nostro autem modo explicata, verba „ἔμεινε” et „ἐν Κορίνθῳ” summo jure ab apostolo sunt scripta.

SCHRADERUS autem praedicat, diversas hypotheses excogitari posse, quae ad totius epistolae argumentum melius adaptari possunt, quam ista alterius captivitatis conjectura. Nullo modo negamus, tales hypotheses *excogitari* posse, sed talis explicatio nobis praeferranda videtur quae nullâ hypothesi indigeat, et re vera talium hypothesium exempla, quae SCHRADERUS summa largitate nobis praebet, probabiles vocari vix possunt. Sic unam harum hypothesium SCHRADERUS sibi informat. Erastus apostolo promisisset munus, quo Corinthi fungebatur, deponere et postea Romam se conferre; vel Timotheus Onesiphorum, quum Romam petiit,

¹ Hoc etiam valet contra SCHRADERUM etiam contententem, illum ERASTUM οἰκονόμον Corinthi esse.

Corinthum misisset, ut Erastum secum Romam duceret. Haec exempla, quod probe tenendum, probare debent, hypotheses excogitari posse, quae melius in epistolae argumentum quadrant, quam alterius captivitatis hypothesis.

WIESELBRUS contendit, illum Erastum propter grave munus, quo fungebatur, Paulo tanquam deprecatozem prodesse potuisse. Negare hoc nolumus, si probatum esset, Erastum, cujus hic mentio fit, revera *οικονόμον* fuisse, et etiamsi hoc probatum esset, nostram sententiam non infringeret, quia, quae talis, in altera quoque captivitate, quaestionem agere potuit. Num autem iudicii commemoratio hoc loco bene in contextum quadret, postea est videndum.

Agamus de hujus sectionis altera parte sic se habente: *Τρόφιμον δὲ ἀπέλιπον ἐν Μιλήτῳ ἀσθεροῦντα*. Quod ad Trophimum attinet, novimus eum una cum apostolo Hierosolymis fuisse act. XXI:29 et hoc in caussis fuisse, cur Paulus a Judaeis captus fuerit. Negat autem HENGELIUS,¹ „Paulum sibi comitem habuisse Trophimum, cum Hierosolymis captivus fieret.” Putat enim verba „*προεωρακότες ἦσαν*” non pertinere ad tempus, quo Paulus sec. act. XXI:29 Hierosolymis erat, sed ad illud tempus, quo in illa urbe sec. act. XVIII:19—32 fuerat; nam „*προεωρακότες*” spectat ad tempus jam dudum praeterlapsum. Ad hanc suam sententiam comprobendam locum affert: *οἱ πρεσβύτεροι*

¹ *Com. perpet in epist. Pauli ad Philip.*, pag. 25.

οἱ προεωρακότες τὸν πρὸ τούτου οἶκον, qui locus autem quaestionem, quae hic agitur, non satis dirimit; nam diuturnum quod hisce verbis indicatur tempus non definitur verbo „προεωρακέναι” sed multo magis verbis „τὸν πρὸ τούτου οἶκον.” Quin etiam si probaretur, hoc loco illud verbum denotare tempus jam diu praeterlapsum, probari tamen nequit, semper illud talem habere significationem. Sed neque hoc loco illa explicatio admitti potest. Primo enim loco HENGELIUS probare nequit, Trophimum act. XVIII: 19—22 una cum Paulo Hierosolymis fuisse, quum contra verosimile sit, cum eo tempore nondum Christo nomen dedisse; nam secundum act. XVIII: 19 apostolus tantum cum Judaeis egit.¹

Deinde statuendum esset, Judaeos eam ob causam apostolum sacrilegii accusavisse, quia eum quondam, ante tres annos, cum Trophimo Hierosolymis viderant, quem nunc rursus cum Paulo venisse putabant, quum Lucas hoc ne verbo quidem indicet; nam plane confiteor, me in act. cap. XXI: 27—29 minime invenire potuisse quod HENGELIUS in loco vidit: „(auctorem) rem minus proponere recens quam dudum factam.” Deinde Paulus hic aliquid cum Timotheo communicavisset, quod ante quatuor annos factum erat, quum Timotheus per hoc temporis spatium fortasse plus quam semel cum eo fuisset, immo ipse adfuisset, quum apo-

¹ Cf. DA COSTA, *Versch. en Overeenst.*, pag. 353.

stolus Trophimum reliquisset. Unicuique vero iudicium relinquimus, utrum haec omnia facile credi possint.¹

HUGIUS,² quocum HEMSENIUS³ facit, ἀπέλιπον tertiam personam pluralis numeri esse statuit. Hic enim locus, ut opinatur, spectat ad actionem iudicialem, per quam e singulis ecclesiis ad apostolum missi erant legati, qui nunc Mileti Trophimum reliquerant, qui tanquam advocati in iudicio ei praesto essent.

Adversus hanc sententiam bene monuit WERTIUS,⁴ hoc subjectum e contextu nullo modo effici posse, et auctorem, si hoc communicare voluisset, melius scripsisse ἀπελείφθη.⁵ Nusquam etiam Asiatici antea memorati, ad apostolum missi ab ecclesiis leguntur, ut ei coram iudicibus opem ferrent. Secundum enim cap. I: 15. Timotheus, apostolum ab iis esse derelictum, jam novit, quum de ejus ἀπολογία nihil quidquam sciret.⁶ SCHRAEDERUS⁷ putat se sic illum locum vertere posse: Trophimus non proprio motu Mileti mansit, sed ego eum ibi reliqui propter corporis ejus debilitatem. Sit ita. Sed quaestio nunc oritur de quam urbe hoc loco sermo sit. Secundum SCHRA-

¹ Cf. imprimis de hac quaestione DA COSTA, l. l.

² l. l. pag. 418.

³ l. l. pag. 700.

⁴ Ad l.

⁵ Cf. etiam DA COSTA, l. l. pag. 353.

⁶ Cf. WIESELER, l. l. pag. 465.

⁷ l. l. pag. 190.

DERUM cogitari potest vel Miletus in Caria vel in Creta. Urbs autem Mileti in Creta in hujus insulae parte septentrionali sita est, et secundum act. XXVII:7. apostolus hujus insulae partem meridionalem praeternavigaverat,¹ ita ut hic non nisi de urbe Mileti in Caria sermo esse possit. SCHRADERUS igitur plane errat; alio autem modo suam de hoc loco sententiam, comprobare conatur. Contendit Trophimum in animo habuisse apostolum Romam sequi, eamque ob causam apud apostolum, Caesareae captivum, mansisse, Paulum autem ante suum iter in urbem Romae constituisse, Trophimum Miletum reversurum esse, ut ibi fixam haberet sedem, quum propter ejus infirmam valetudinem nullo modo molestias pati potuerit, quae ei, tanquam apostoli comiti, subeundae essent; sed multo magis familiari cura indigeret. Hac de re Timotheus nondum audiverat et si ab aliis audiret Trophimum rursus Mileti esse, cogitare potuit etiam eum dereliquisse apostolum, quam ob causam Paulus Timotheo scripsit: *Τρόφιμον δὲ ἀπέλιπον ἐν Μιλήτῳ ἀσθενοῦντα*. Quisque statim videt hanc sententiam hypothese supra rejecta niti, alteram ad Timotheum epistolam omnium primam Romae esse conscriptam. Sed etiam huic sententiae faventibus, dubia sunt opponenda. Nam e SCHRADERI opinione Timotheus eo tempore Ephesi fuit, ita ut jam diu scribere potuerit Trophimum ibi esse et etiam cau-

¹ Cf. WIESELER, l. l. pag. 466.

sam, quare hoc loco relictus esset. Deinde contra hanc sententiam significatio verbi ἀπολιπεῖν pugnat, quum summo jure WERTIUS¹ monuerit verbum illud spectare ad praecedentem praesentiam. Sed, ita argumentatur SCHRADERUS, si quis, diu in Asia moratus, in mente habet proficisci, sed ante suum discessum ad occidentales partes, suos socios a se dimittit, singulos scilicet ad singulas urbes Miletum, Tarsum vel Ephesum, talem hominem (sic contendit) optime dicere potest se ἀπολιπεῖν suos socios hisce in urbibus. Hac de re tamen apud nos nondum constat. Nusquam enim Paulus Trophimum ex urbe Caesareae Miletum misisse legitur. Jure igitur exspectare possumus Paulum diserte tum annuntiasse, se Trophimum in illam urbem misisse, scribendo „ἀπέστειλα” vel ἀπέλιπον ἐν Ἀσία, alioquin enim satis obscure suam mentem expressisset. Attamen rursus alio modo SCHRADERUS² hoc explicare conatur, ita ut Paulus per suam captivitatem in urbe Caesareae Trophimum otiosum apud se habere noluerit, quam ob rem eum huc atque illuc miserit, et quum tempus venisset, quo Romanam duceretur, Trophimum ad se vocari curaverit, tunc autem (ita res fictas sibi proponit) audivit eum Mileti, morbo quodam affectum, retineri, quare eum secum ducere non potuerit. Ut autem jam mo-

¹ Ad l. „Der Begriff zurücklassen bezieht sich auf ein früheres Beisammensein.”

² l. l. pag. 192.

nuimus, ἀπέλιπον ad praecedentem praesentiam spectat, et valde dubitamus num quis, locum illum sine praeoccupata opinione legens, hoc, quod SCHRAEDERUS sibi velit, ex eo efficeret.¹

WIESELERUS etiam alteram Pauli captivitatem negans, alio modo dictum illud cum iis, quae in act. narrantur, in concordiam redigere conatur, provocans ad act. cap. XXVII:2: ἐπιβάντες δὲ πλοίῳ Ἀδραμυττηνῶ μέλλοντες πλεῖν τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν τόπους ἀνήχθημεν κ. τ. λ. Sed, sic pergit WIESELERUS,² quum Myrae in Syria venissent in aliam navem, recta via Italiam petentem, conscenderunt. Sin autem Trophimus cum apostolo Caesarea profectus est, ut cum illo Romam peteret, Paulum usque ad urbem Myram erat comitatus, ille autem, e WIESELERI sententia, propter morbum, quo erat affectus cum πλοίῳ Ἀδραμυττηνῶ Miletum petivit. Sic apostolus cum Timotheo communicare potuit, se Trophimum Miletum reliquisse, quia eum, quem Romam secum ducere voluit, propter ejus morbum Myrae reliquit, sub conditione Trophimum Miletum aditurum esse.³

Sed quare, si hoc ita sese haberet, apostolus non scripsit: Τρόφιμον δὲ ἀπέλιπον ἐν Μύρα vel quare non iterum posuit ἔμεινεν ut WIESINGERUS jure suo monuit? Exemplum saltem ab eo alla-

¹ Cf. etiam de hisce sententiis WURM, l. l. pag. 199.

² l. l. pag. 467.

³ Sic etiam SCHAFF, l. l. pag. 334.

tum ad probandum dictionem Pauli minime a consueta dicendi ratione abhorrere, nostro hac in epistola loco haud recte convenit.¹ Nimirum utroque enim itinere, quod WIESELERUS fingit, vel insulam Helgoland vel Promontorium Bonae Spei praeternavigamus et socium nostrum relinqueremus in ipsis illis locis.

In itinere Pauli contra, minime urbem Mileti praeternavigavit, neque Trophimum in ipso loco, qui nominatur, reliquit. Quaerere igitur e WIESELERO possumus utrum, si socium in insula Helgoland reliquerat „sub conditione”² eum Amstelodamum aditurum esse, tum amico suo scriberet: Socium meum Amstelodami reliqui.³ Sic enim illi casus iidem essent. Tum nusquam cap. XXVII: 2 Trophimus Paulum comitatus esse legitur, et quamquam fieri potest, ut in verba „ἀνήχθημεν” enumeretur, Aristarchum tamen, solum socium nominari, mirum videtur, nec minus, quod nusquam auctor narrat, eos Trophimum aegrotantem reliquisse. Idem con-

¹ Sic WIESELER, l. l. pag. 467 in annotatione 3^a: „Auch wir würden bei einer grössern Reise z. B. wenn einer unserer Begleiter unterwegs auf einer Reise von Engeland nach Hamburg auf Helgoland, oder auf einer Reise nach Ostindien auf dem Kap der guten Hoffnung zurückbliebe sagen können, dass wir ihn auf Helgoland oder auf dem Kap zurückgelassen hätten ohne dass wir selber auf Helgoland oder auf dem Kap gewesen wären.”

² l. l. pag. 468 „unter bestimmter Voraussetzung und Kunde.”

³ Quare, si „ἀπέλιπον” tali modo explicari potest, illi viri statuunt Paulum Troade fuisse, quum (sec. II Tim. IV: 13) φερόμενον apud Carpum reliquit?

tra eos valet, qui putant Trophimum in Cnido esse relictum. WIESELERUS autem poscit ut, nostram explicationem defendentes, explicemus, quare Paulus cum Timotheo communicet, Trophimum relictum fuisse, quum Ephesus, ubi eo tempore Timotheus degebat, tam prope ab urbe Miletu abesset, ut ille, si quidem ab Onesiphoro hoc non audivisset, tamen ob loci propinquitatem, hoc jam novisset. — E nostra autem sententia Timotheus Ephesi non fuit sed quodam in loco in Asia Minore, ita ut optime fieri potuerit, ut Timotheus hoc nondum sciret. WIESELERUS, etiamsi supponeret Ephesum locum non fuisse, ubi Timotheus tunc degit, tamen statuat necesse est, eum per duos illos annos hanc urbem visitasse. Si hunc interpretem audis, apostolus aliquid de Trophimo communicare vult, et hoc quidem, quod eo tempore (nempe ante tres annos) morbo esset affectus. Optime; hoc autem Timotheus, e WIESELERI sententia, jam dudum scivit.¹ Bene autem hoc explicabitur, si apostolus, hoc tradens, cum Timotheo communicare voluerit, quare Trophimum frustra Romae exspectaverit. Trophimum *expectasse* nusquam vero legitur Paulus. Sed ait WIESELERUS, Paulus Timotheo in memoriam revocare vult morbum primum Trophimi, qui morbus, etiam nunc, eum prohibere potuit, quominus Romam veniret. Jure suo autem jam hu-

¹ l. l. pag. 468.

THERUS' monuit, minime patere, hoc in loco talem inveniri recordationem.

WIESELERUS autem suam sententiam probare conatur, utroque statuens apostolo opus fuisse in iudicio, quam ob rem Paulus eos convocaverit, et quidem eo modo, ut Timotheus hoc sciret, igitur vel per ipsum Timotheum, vel per Onesiphorum. Sed neque de hac convocazione aliquid legitur, et si probari potest, verosimile esse hoc loco (sect. 20) nullam apostoli ἀπολογίας mentionem fieri, hoc argumentum, vel potius haec hypothesis, cadat necesse est. Ejus ἀπολογίας tantum in hujus capituli sectt. 16 et 17. mentio fit. Sectione autem decima continetur epistolae finis proprie sic dictus. Accedunt salutationes. Nunc autem vix negari potest, satis longe esse quaesitam explicationem, si ponamus apostolum, mediis in salutationibus repente ad ἀπολογίας narrationem rediisse. Multo verosimilius, Erastum et Trophimum, si de iis loquens, ἀπολογίαν suam in mente habuisset, commemorasset sect. 16^a vel saltem in narratione sect. 10—12. Donec igitur sententia, Paulum hac commemoratione, ἀπολογίαν suam in mente habuisse, non omni dubio major sit reddita, ex illa non multum deduci potest, ¹ quam ob causam neque probemus necesse est, quod WIESELERUS poscit, utrumque apostolo tanquam testes etiam in altera

¹ l. l. pag. 24.

² Cff. WIESINGER l. l. et HUTHER l. l.

captivitate prodesse potuisse. Sin autem nostra sententia accipitur, nil narrationi addendum neque ad contortam explicationem refugiendum est; nam illa commemoratio facta esse videtur, ut Pauli adhortationi: *σπούδασον πρὸ χειρῶνος ἐλθεῖν* 2 Tim. XV:21, quae etiam sectt. 9 et 10 occurrit, major vis daretur; nihil quidquam enim est, quod assumere cogeretur, apostolum Timotheum adhortari voluisse, ut ante tempestates hiemales veniret.¹

Sententiae alterius captivitatis etiam hoc posse opponi, statuit WIESELERUS, quod non verosimile sit habendum, apostolum in altera illa captivitate duas habuisse *ἀπολογίας*.² Sed etiam hoc non tantum valet, quantum putet: sin enim apostoli conditio talis fuerit, qualis a WIESELERO cogitatur³ neque hoc explicari potest in priore captivitate, quandoquidem odium in Christianos eo tempore, quo WIESELERUS statuit Paulum supplicio traditum fuisse, tale fuit, ut Nero incendii culpam in Christianos conferre potuerit.⁴

Hic contendit apostoli dictum cap. I:4. *μεμνημένος σου τῶν δακρύων*, suam sententiam probare:

¹ Sic WIESELER, l. l. pag. 471, contra quem conferendi sunt: WIESINGER ad l. et HUTHER, l. l. pag. 25 et ad sect. 9^{am} cap. IV.

² l. l. pag. 477. „Unter dieser Voraussetzung würde man aber mit ihm, als einer der angesehensten Häupter der Christen (ap. XXIV:5) schwerlich so viele Umstände gemacht haben, dass es in seinem Prozesse zu zwei gerichtlichen Hauptverhandlungen hätte kommen können.“

³ l. l. pag. 476.

⁴ LANGE, l. l. pag. 375 et HEMSEN, l. l. pag. 714.

Dictum illud conferre jubet cum Philip. II: 19-13. quo in loco apostolus scribit se Timotheum cito missurum esse.¹ Statuit autem Paulum ibi indicare voluisse urbem Philippos et vicinas regiones;² sed de illis „vicinis regionibus”, loco citato nihil legitur, et etiamsi harum regionum vicinarum mentio fieret, utrum ad eas Ephesus referenda esset, dubitare licet. Tum vero etiam secundum epist. ad Philip. Paulus in animo habuit Timotheum Philippos mittere, ut ex eo audiret, quomodo res Philippis sese haberent; sed quomodo factum sit ut Timotheus nunc Ephesi fuerit, minime explicat. Deinde apostolus sect. 23^a scribit, se Timotheum missurum esse: ὡς ἂν ἀπίδω τὰ περὶ ἑμε ἐξ αὐτῆς, non igitur verosimile, Paulum Timotheum missurum fuisse *ante ἀπολογία* suam instantem, quod apostolum fecisse, e WIESELERI sententia sequitur, quum ex II Tim. IV: 16 pateat, Timotheum in priore ἀπολογία Paulo non adfuisse.

Denique WIESELERUS attendere jubet ad id, quod apostolus ne verbo quidem liberationis e priore captivitate mentionem faciat. Ac sane si Paulus disertis verbis eam commemorasset, loci disquisitio, quam nunc instituimus, non tantopere viros doctos cruciavisset ac suspensos tenuisset. Paulus autem jam diu cum Timotheo fuerat, et quae postea acciderant ab Onesiphoro audire potuit Timotheus, quum cap. III: 11 non omnia pericula enumerat apostolus.

¹ l. l. pag. 463.

² „Nach Philippi und den benachbarten Gegenden.”

Tum etiam eodem jure (fortasse majori) quaerere e WIESELERO possumus, quomodo fieri possit, ut apostolus ne verbo quidem labefactatae suae spei mentionem faciat, neque hujus mutationis causas memoret. Deinde, ut jam verbo monuimus, qui contrariam sententiam tueantur, statuunt necesse est, repente apostoli conditionem mutatam esse, quae tam fausta erat quum Timotheus proficisceretur, quum viderimus, Paulum Timotheum non missurum fuisse Philippos, si res tam subito mutatae essent. Sin autem objiciunt, vix credendum esse, apostolo etiam in altera captivitate libertatem epistolas ad amicos scribendi esse concessam; responsum in promptu est, etiam eos statuere debere id ei licuisse, quum tanquam criminis reus (cap. II: 9) vinculis ligatus esset.

Quisque aequus rerum judex videt omnes locos in epistola a nobis tractatos optime, sententia alterius captivitate admissa, quam defendimus, explicari posse, e contrario multa nonnisi contorta ratione explicari posse, si tantum unam captivitatem accipimus. Nemini autem mirum videri potest, apostolum secundum hanc epistolam rursus in Asia fuisse, nam ex epistolis ad Philippenses et ad Philemonem novimus, eum in animo habuisse post suam liberationem illuc revertendi, et si statuimus eum ex Asia iterum in Occidentales regiones profectum esse, quum persecutio jam contra Christianos exarsisset, optime intelligere possumus quare Timotheum lacrymantem (2 Tim. I: 4) reliquerit.

CAPUT IV.

De Epistolarum Pastoralium convenientia.

Copiose egimus de quaestione gravissima, quo tempore hae epistolae conscriptae sint, et antequam eas mittamus, paucis verbis ad harum epistolarum convenientiam attendere volumus, ut pateat, hanc quoque convenientiam in nostram alterius captivitatis sententiam, optime quadrare. Negari nequit, multa hisce in epistolis occurrere, quae testentur, eas ab uno eodemque auctore scriptas esse, ita ut critici hodierno tempore vel omnes vel nullam rejiciant.

Ad alteram quoque ad Timotheum epistolam quod attinet, quamvis haec plane diversum prodat consilium, nemo tamen negabit, eam tot in rebus cum reliquis convenire, ut, longius spatium inter eas elapsum intercedere, vix vel ne vix quidem interponi possit. Quod vero illi, qui alteram captivitatem negant, statuunt necesse est.

¹ Cf. imprimis DE WETTE, *Einl.*, pag. 307 et *Comment.*, pag. 116 et 118, qui etiam multas allegat voces et expressiones; WIESINGER, l. l. pag. 232, 238; BAUR, *Die sogenannten Pastoralbriefe des Ap. Paulus, et Paulus der Ap. Jesu Christi*, p. 499: „Auch hier zeigt sich hierin eine solche Gleichartigkeit der drei Briefe, dass keiner von den beiden andern getrennt werden kann, und hieraus wohl auch auf die Identität des Verfassers zu schliessen ist.“ Sic etiam HUTAER, l. l.

Quicumque has epistolas legit, statim videt eas polemice agere contra quoddam haeticorum genus, quod in nulla alia apostoli epistola occurrit, excepta epistola ad Colossenses, in qua talium haesium principia occurrunt, hîc autem illae haereses, magis ad maturitatem adultae, inveniuntur. Tum jam vidimus apostolum in oratione Mileti coram presbyteris Ephesinis habita, tales haeticos tanquam futuros designavisse, quae omnia, ad sententiam probandam eas post hanc orationem habitam, esse conscriptas, sufficiunt. Viri docti, quorum sententiam, quum de harum epistolarum chronologia egimus, dijudicavimus, illas, imprimis priorem ad Timotheum et epistolam ad Titum, scriptas esse statuunt, ante epistolas in Romana captivitate compositas, quamquam, ut vidimus, diversi diverse, quod ad tempus, quo sint compositae, attinet, disputant. Quocumque alio modo hac de re statuunt, quum nonnulli eorum, epistolam priorem ad Timotheum et epistolam ad Titum eodem fere tempore esse conscriptam, putent, hi explicare non possunt, quomodo fieri possit ut illae epistolae tot contineant, quae in multis epistolis post eas scriptis non occurrant, quum contra multa eorum iterum alteri epistolae ad Timotheum, dudum post eas exaratae, insint.

Sic MATTHIESIUS statuit, binas illas epistolas eodem fere tempore compositas esse, quo epistola ad Romanos sit scripta, quinque igitur fere annos ante alteram ad Timotheum epistolam. WIESELE-

rus sententiam defendit priorem ad Tim. epistolam esse conscriptam ante alteram ad Corinthios et post eam, epistola ad Titum, ita ut illae epistolae jam essent scriptae ante alteram ad Corinthios, ante epist. ad Romanos, ad Ephesios, ad Colossenses, ad Philemonem, ad Philippenses, et post omnes illas epistolas, altera epistola ad Timotheum, quae multis in rebus cum duabus aliis pastoralibus epistolis convenit. Quomodo autem hoc explicatur? non enim sufficit ut statuamus, binas illas epistolas eodem fere tempore esse scriptas, ¹ etiam explicandum est, quomodo fieri possit, ut in epistolis, quae cum iis eodem fere tempore sunt scriptae, illa non occurrunt, quae imprimis epistolis pastoralibus propria sunt, quod nusquam WIESELERUS fecit. Sin vero obijciunt, epistolam priorem ad Timotheum et epistolam ad Titum ab altera ad Timotheum, consilium plane diversum habere; ro-gare possumus: unde talis convenientia, quae eo magis conspicua est, quo magis epistolae consilium sit diversum? Non explicuit WIESELERUS, quomodo fieri potuerit, ut apostolus, post quinque annos, epistolam, diverso argumento, scripserit, quae tanto-

¹ Ut WIESELER putat, dicens l. l. pag. 354: „Wenn man übrigens aus Inhalt und Stil des ersten Briefs an Timotheus und des Briefes an Titus zu schliessen pflegt, dass sie fast in dieselbe Zeit fallen müssen, so ist auch dieses Postulat durch unsere Annahme erfüllt, da sie nach derselben, beide während des Apostelgeschichte XIX. erwähnten ephesinischen Aufenthaltes des Apostels und zwar mehr gegen Ende desselben geschrieben sind.“

pere conveniat cum epistolis tam diu antea compositis. Sin vero critici e dictionis similitudine concludunt,¹ epistolas ad Colossenses, ad Ephesios, ad Philemonem, eodem tempore conscriptas esse, quare negant hoc etiam locum habere ratione epistolarum pastoralium habita, quarum hac in re convenientia negari non potest.² Haec autem omnia optime in nostram, in alterius captivitatis sententiam, quadrant. Sic enim tres illae epistolae longo temporis spatio non sejunguntur; haeretici, qui in illis occurrunt surgere potuerunt, qui doctrinam christianam eum judaïcis et theosophicis placitis, conjungere studerent.³ Ad haec accedit, quod re vera mirum sit, ut jam bene paucis verbis HUTHERUS monuit, tantum has tres epistolas momenta historica continere, quae auctor libri act. praeterierit, quum ceteroquin ex ejus narratione tempus, quo ceterae Pauli epistolae scriptae sint, magna cum verosimilitudine effici possit. Pauca haec sufficiant ad probandum etiam epistolarum pastoralium orationis similitudinem plane cum nostra de hisce epistolis sententia convenire.

¹ Cf. WIESELER, l. l. pag. 432.

² Cf. HUTHER, l. l.

³ Cf. HUTHER, l. l. pag. 26: „Das Christenthum musste schon eine eingreifende Macht geworden sein, ehe sich eine solche Vermischung des christlichen mit orientalisch-jüdischen Spekulation bilden konnte, wie sie sich bei jenen Irrlehrern zeigte.“

PARS TERTIA.

DE ACTUUM APOSTOLORUM LIBRO,
PRAESERTIM DE EJUS FINE.

Auctor libri act. apostolorum narrationi sic finem imposuit (cap. XXVIII : 30, 31): *Ἐμεινε δὲ ὁ Παῦλος διετίαν ὄλην ἐν ἰδίῳ μισθώματι· καὶ ἀπεδέχετο πάντα τοὺς εἰσπορευομένους πρὸς αὐτὸν, κηρύσσων τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ καὶ διδάσκων τὰ περὶ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάσης παρρησίας ἀκολύτως.* Unicuique statim in oculos incurrit ex his verbis, per se spectatis, nihil quidquam effici posse, quod ad apostoli liberationem vel martyrium attinet. Multae conjecturae in medium prolatae sunt ad quaestionem solvendam, cur Lucas, tam abrupte libro suo finem imponens, de utroque, qui cogitari potest, Pauli captivitatis exitu, ejus liberatione vel morte, prorsus tacuerit. Omnes illas conjecturas recensere nolumus, quae diutius nos tenerent,¹ neque illam

¹ Praeter libros Isagogicos conferri merentur: WIESELER, l. l.

quaestionem dirimere conabimur, nec denique perscrutari volumus, quo tempore Lucas opus illud scripserit. Tantum verba, modo citata, considerare volumus et sententias earum, qui vel ex iis sectionibus vel e toto libro, aliquam conclusionem derivarunt, dijudicare.

Ex ipsis illis verbis HENGELIUS haec concludit: ¹
 „Cur auctor commentarium suum non ulterius persecutus sit, plane incertum est: sed haec sine dubio scripsit ut res Pauli, biennio exacto, mutationem subiisse, significaret. Quaestio igitur est, utrum mutationem in melius significaverit, an vero in pejus. Atqui oratio ejus memoriam continet eventus fausti, cui alius opponi nequit quam infaustus. Ergo in mente ejus non fuit: solutus vero postea vinculis et Roma profectus doctrinam denuo libere propagavit: sed hoc sibi voluit: coniectus vero postea in carcerem est et impeditus, quominus consuetudinem haberet cum aliis, quos Christi sectatores faceret” ² Mirari autem liceat, quare Lucas, quando hoc sibi voluerit, id ne verbo quidem adjecterit, et quia semper sub iudice lis est, quando act. apost. conscripti sint, hoc multum probare non potest. Deinde satis constat alteram epistolam ad Timotheum, si Paulum auctorem habuit, scriptam esse sub finem Pauli vitae, quod spero fore ut

pag. 399 sqq., et VAN OOSTERZEE, *Verhandeling over de waarde van de Handelingen der apostelen*, pag. 193 sqq.

¹ *Comment. perpet. in Philipp.*, pag. 24 sqq.

² Sic etiam: VAN OOSTERZEE et HEMSEN.

cl. HENGELIUS mihi concedat; eo igitur tempore, quo jam „in carcerem esset injectus,” multi tamen amici eum adire potuerunt, ut patet ex illa epistola passim. Nullum vero adduci potest argumentum, quod probaret, apostolum fuisse „impeditum quominus consuetudinem haberet cum aliis, quos Christi sectatores faceret;” tot enim amici eum visitare siquidem potuerunt, epistolam scribere ei si licuit, alios quoque ad eum venire potuisse verosimile est. Nullo igitur modo sequitur, Lucam sibi voluisse, quod cl. HENGELIUS eum in mente habuisse statuit. Denique contra hanc opinionem animadvertendum est, quod jam monuit DA COSTA¹: illam apostoli conditionem non tam fuisse faustam, (nam semper captivus fuit) ut minus fausta ei necessario opponi deberet conditio.

Ex eodem loco ad conditionem in pejus mutatam concludit etiam WIESELERUS, qui autem historica via eo pervenire conatus est. Verumtamen magis ad historiam profanam attendit, quam ad ea, quae apostolus ipse sua de conditione monuit. Ad hanc WIESELERI sententiam refutandam, imprimis opus est, ut paucis verbis inquiramus, quando apostolus epistolam ad Philippenses scripserit, ita ut ea, quae ipse apostolus de sua conditione dixerit, compa-

¹ *Nalezing*, pag. 73. „Het slot der Handelingen spreekt van geen *volstrekt* maar alleen van een *betrekkelijk* gunstigen toestand, — van eene in zich zelve toch wel *niet* gelukkig te noemen, maar alleenlijk ten aanzien der omstandigheden verzachte *gevangenschap*.”

rare possimus cum conditione, quam WIESELERUS sibi finxit. Disputare nolumus de anno, quo Paulus Romam venerit; ponamus WIESELERI sententiam veram esse, apostolum sc. initio anni 61ⁱ Romam venisse. Idem statuit epistolas ad Ephesios, Colossenses et Philemonem scriptas esse anno 61^o vel 62^o. Eas autem anno 62^o esse compositas mihi verosimilius videtur.¹ Sin vero eo anno illae epistolae sint compositae, quaestio oritur quando epistola ad Philippenses sit conscripta. Si ad ea, quae nobis in hac epistola de christiana religionis propagatione narrantur, attendimus, imprimis cap. I:12 sqq., Paulum jam per longum temporis spatium in urbe degisse, statuamus necesse est, ut ponere possimus illam epistolam anno 63^o esse compositam.*

¹ Alio enim casu posito, Epaphras statim eum secutus est, et si tantum per nonnullos menses Romae fuisset captivus apostolus, scribere vix potuit ad Philemonem: ἐπέμαζέ μοι Ξένων.

² Quia enim apostolo non licuit extra domicilium suum Evangelium annuntiare, ut WIESELERUS etiam concedit, dicens l. l. pag. 398. „Dennoch würden wir sehr irren, wenn wir meinen wollten, er habe zur Erreichung seiner missionarischen oder andern Zwecke auch willkürlich . . . seine Wohnung verlassen dürfen“; non tam cito illa propagatio locum habere potuit. Accedit, quod e cap. II:25 sqq. patet, Philippenses Epaphroditum misisse, qui, postquam gravi morbo erat affectus, nunc reconvalescens ab apostolo ad Philippenses mittebatur, qui jam de ejus morbo audiverant. Quae omnia longum temporis spatium poscunt. Mare enim erat clausum inde a mense Novembris usque ad mensem Martis; Paulus igitur Tychicum in Asiam mittere non potuit cum epistolis ad Ephesios, Colossenses et Philemonem, ante mensem Martis anni 62ⁱ et tum post paucos tantum menses epistolam ad

Revertamur ad WIESELERI sententiam. Putat enim ille sequi ex usu temporum in act. apostolorum, Lucam conditionem apostoli, tanquam praeteritam proponere, acsi vellet indicare conditionem, post duos illos annos et ante Pauli iudicium coram Imperatore, mutatam esse. Sed quia Lucas hoc loco historice agit, etiam tempore historico utitur, quam ob rem sic scribere potuit, etiamsi illa conditio nondum esset finita.¹ Argumenta, quibus WIESELERUS utitur ut probet, conditionem Pauli post biennium exactum verosimiliter in pejus mutatam esse, imprimis haec sunt. Praefectus praetorio,

Philippenses scribere debuit Paulus, si Epaphroditus, hanc epistolam secum ducens, ante hiemem Philippos attingeret (nempe si illa epistola anno 62° scripta sit, ut WIESELERUS vult). Hoc autem minime verosimile est, ratione habita apostoli conditionis, Euangelium per paucos illos menses adeo propagatum esse, sic ut epistola passim indicat. Denique hoc illi sententiae imprimis obstat, quod post breve tempus vix rerum suarum exitum exspectare potuit apostolus eum, quem tamen exspectavisse eum constat e cap. II: 23. Plane cum WERTHO facimus scribente, *Com. Einl.* pag. 163; „Steht es nun fest, dass der Brief in der römischen Gefangenschaft geschrieben ist, so müssen wir ferner annehmen, dass diese schon geraume Zeit gedauert hatte, weil das, was I: 12 sqq. von der Ausbreitung des Evang.; I: 7, II: 23 vom Fortgange des Processes, II: 25 sqq. von der Sendung, Krankheit und Rücksendung des Epaphroditus gesagt wird, einen nicht geringen Spielraum erfordert.“ Tum conferri debet CONYBEARE and HOWSON, l. l. pag. 519 alii.

¹ Cf. CONYBEARE and HOWSON, l. l. pag. 536: „We may take this opportunity to remark that the ἔμεινε and ἀπεδέχετο by no means imply that a chanced state of things had succeeded to that there described.“

cui apostolus erat traditus, Burrus, initio anni 62^o mortuus erat. Burri locum autem ceperunt Ticinius Rufus et Sophonius Tigellinus. Eodem tempore Nero Poppaeam, olim concubinam, uxorem duxit, et paullo post Octaviam olim Imperatricem, instigante Poppaea, interfecit. Poppaea ista e Judaeis erat proselytis, quam ob causam Judaicis rebus saepe favit. Negari nequit, bene fieri potuisse, ut Judaei hac quoque in re tentaverint istam mulierem ad suas partes trahere, cujus potentia maxima fuit anno 63^o, quo filiam peperit.¹

Quid autem probant ea, quae ex tali rerum conditione WIESELERUS effecit? Nullum nobis est historicum fundamentum, quo niti possit sententia, Tigellinum et Poppaeam pro Judaeis revera intercessisse. Eodem jure contrariam sententiam defendere possumus. Burrus enim jam mortuus erat initio anni 62ⁱ et tamen apostolus initio anni 63ⁱ, quo anno Poppaeae potestas maxima fuit, ad Philippenses scribere potuit (cap. II: 24): *πέποιθα δὲ ἐν κυρίῳ, ὅτι καὶ αὐτὸς τάχως ἐλεύσομαι.*² Nihil in hac epistola de mutata sua conditione monet, ne verbo quidem spectat ad adversariorum insidias, sed tota epi-

¹ Cf. TACITUS *Annalium* XV^o „natum sibi ex Poppaea filiam, Nero ultra mortale gaudium accepit.”

² Recte WIESINGER scribit, l. l. pag. 574: „Wie schwach namentlich gegenüber den Erwartungen, die der Apostel selbst so bestimmt in den Briefen an die Philipper und an Philemon ausspricht, wo er seine gewisse Ueberzeugung von seine Erhaltung und der Rückkehr zu den Lesern darlegt.”

stola multo magis contrarium probat. Neque Paulus in hac epistola cum Philippensibus aliquid communicat de morte cujusdam viri, suae caussae addicti, neque de vi, quam aliquis suorum adversariorum erat adeptus, quum contra bene pateat ex epistola (cap. IV : 22), alios etiam fuisse ἐν τῇ Καισαρος οἰκίᾳ, qui apostoli caussae faverunt. Quum vero eo tempore Pauli conditio in pejus mutata esset, non verosimile est multos amicos eum adire potuisse. Sic satis constat, res, quas WIESELERUS narrat, non sufficere ad probandum, apostoli conditionem post duos priores annos graviolem esse factam. Sin vero WIESELERUS hanc sententiam probare conatur ex iis, quae in epistola altera ad Timotheum leguntur, praetermittere hoc possumus, quandoquidem jam antea vidimus, illam epistolam nullo modo tunc scriptam esse.

Deinde WIESELERO concedere non possumus stantenti, Lucam in act. apost. sic rem proposuisse, ut attentus lector mortem apostoli exspectare possit.¹ Ea consideremus. Primo loco allegat act. cap. XX : 25, 37, 38, quae autem jam antea a nobis tractata, hinc praetermittere nobis sit licitum.

¹ l. l. pag. 399: . . . „der aufmerksame Leser der Apostelgeschichte (kann) nach ihren früheren Andeutungen und der Art und Weise, wie diese ausgesprochen werden, nur erwarten, dass seine Gefangenschaft mit dem Tode enden werde.“ Et porro l. l. pag. 404: „Aus dieser Verschlimmerung (?) seiner Lage erklärt es sich ferner, dass Lukas die Apostelgeschichte unter Ahnungen seines Todes vollendete.“

Secundo loco provocat ad cap. XXI: 10—14, ubi Agabi vaticinium narratur hisce verbis (sect. 11): τὸν ἄνδρα, οὗ ἐστὶν ἡ ζώνη αὐτή, οὕτω δέσουσιν ἐν Ἱερουσαλήμ οἱ Ἰουδαῖοι καὶ παραδώσουσιν εἰς χεῖρας ἐθνῶν. Hoc loco autem tantum vinculorum mentio fit, unde igitur nullo modo patet, fore ut mors huic captivitati finem imponeret. Apostolum ipsum sic vaticinium intellexisse, docet contextus sect. 13, ubi amicos adhortatur ne nimis dolori indulgerent, nam non tantum vincula ferre paratus erat, ut ille propheta annuntiaverat, sed etiam graviora, quam quae ille erat vaticinatus, nempe mortem. Hoc igitur loco de morte apostoli instante nihil quidquam narrat auctor. Eodem jure plane contrariam ex act. apost. efficere possemus sententiam. Nimirum inspicientes cap. XXV: 25 sqq. Festum hoc modo loqui audimus: Ἐγὼ δὲ καταλαβόμενος μηδὲν ἄξιον θανάτου αὐτὸν πεπραχέναι et sect. 26: περὶ οὗ ἀσφαλές τι γράφαι τῷ κυρίῳ οὐκ ἔχω· διὸ προήγαγον αὐτὸν ἐφ' ὑμῶν, καὶ μάλιστα ἐπὶ σοῦ βασιλεῦ Ἀγρίππα, ὅπως τῆς ἀνακρίσεως γενομένης σχῶ τί γράφω; patet igitur Festum in animo habuisse Agrippae iudicium Imperatori narrare. Agrippa autem, postquam apostolus suam causam defenderat, sic iudicavit sec. cap. XXVI: 31, 32: οὐδὲν θανάτου ἄξιον ἢ δεσμῶν πράσσει ὁ ἄνθρωπος οὗτος· Ἀγρίππας δὲ τῷ Φήστῳ ἐφη· Ἀπολελύσθαι ἐδύνατο ὁ ἄνθρωπος οὗτος, εἰ μὴ ἐπεκέκλητο Καίσαρα. Huc accedit, quod in fine sui libri Lucas conditionem apostoli

tanquam faustam proponit. Eodem igitur jure ac WIESELERUS sic concludere possemus: quia Lucas apostoli rem ita proponit, ut attentus lector non nisi apostoli liberationem expectet, vix alio modo statuere possumus, quam quod Lucas, sic scribens, eo ipso indicare voluerit, se Pauli liberationem expectare. Sic ex iis, quae nobis hac de re in libro act. narrantur, in utramque partem disputari posse, patet; unde sequitur, talia argumenta sibi ipsis saepe contradicere, ita ut argumenti nomine vix vel ne vix quidem digna sint.¹ Sin igitur act. apost. sine praeoccupata opinione legimus, iis viris doctis necessario assentiamur, qui statuunt ex illo libro nihil quidquam effici posse, quod attinet vel ad apostoli liberationem vel ad ejus mortem². Nam si exempli gratia Cl. SCHOLTEN statuit, ex act. narratione sequi, Paulum liberatum fuisse, quoniam, si interfectus esset, Lucas hoc certo certius narravisset,³ tota haec argumentatio hypothese nititur, Lucam librum

¹ Ex exemplo, quod attulimus, effici potest, quatenus valeat WIESELERI dictum l. l. pag. 398: „Der Ausgang der römischen Gefangenschaft des Apostels hat uns Lukas zwar nicht berichtet, dennoch lässt sich in dem, was er wirklich berichtet, noch Manches deutlich (?) zwischen den Zeilen lesen.“

² Cff. HUTHER, l. l. pag. 27, SCHRADER, l. l. tom. I. p. 227, CONYBEARE and HOWSON, l. l. pag. 461, ED. REUSS, *Revue* tom. 2^o. pag. 152, SCHAFF, l. l. pag. 346 alii.

³ l. l. pag. 312: „Het laatste (zijn dood) kan de oorzaak niet zijn, dat Lukas zijn verhaal afbreekt, daar hij in dat geval den dood van Paulus niet onvermeld zou gelaten hebben. Dus is Paulus bevrijd“ etc.

actuum scripsisse post Hierosolyma deleta, quod autem nondum probatum est; nam argumenta, quae allegat non valent, quia petitione principii nituntur.¹

Quamquam autem nihil de apostoli fati exitu ex act. apost. efficere possumus, paucis tamen verbis de ejus judicio coram Imperatore agere nobis liceat. Jure suo WIESELMERTS demonstravit, mirum videri non posse, tam longum temporis spatium praeterlapsum esse, antequam Paulus coram iudicibus suis vocaretur. Quod enim ad Judaeos attinet, nulla iis fuit causa, cur festinarent, et facile dilationem adipisci potuerunt, quia regio, in qua reus crimina perpetraverat sua, tam procul aberat. Si quis autem ad Imperatorem provocaverat, iterum inde ab initio res tractabatur; omnia documenta, testium testimonia, quae antea fuerant audita, ut etiam primum iudicium, ad iudicem ad quem reus appellaverat, mittebantur. Novimus autem ex act. narratione, Agrippam, quem Festus consultaverat, iudicasse, Paulum dimitti potuisse, si non ad Imperatorem provocasset. Neque Festus, rem Pauli regi Agrippae narrans, aliquid tradidit de seditionis accusatione, sed tantum (act. cap. XXV: 19): *ζητήματα δέ τινα περί τῆς ἰδίας δεισιδαιμονίας εἶχον πρὸς αὐτὸν καὶ περί τινος Ἰησοῦ τεθνηκότος, ὃν ἔφασκεν ὁ Παῦλος ζῆν*. Ex iis igitur jam satis superque patet, etiamsi Ju-

¹ Putat enim hoc sequi ex Lucae Evangel. cap. XXI: 20, 24, coll. cum Matth. cap. XXIV: 15 sqq. Sic etiam MEYER, *Com. Apostelgesch.* pag. 11.

daei Paulum seditionis accusavissent, tum jam satis perspicuum fuisse, eam accusationem plane esse falsam. Illud iudicium Agrippae maximi erat ponderis, quia Agrippa res iudaicas optime novit et curavit. Huic igitur iudicio magnum tribuere debuerunt pretium iudices Romani, harum rerum plane ignari. Sic etiam ex act. apost. sequitur testimonia Julii centurionis faustissima fuisse, quum Paulus de omnibus suis sociis bene meritus esset. Postquam autem omnia illa documenta inspecta erant, et testes auditi et interrogati et orationes defensoriae pronuntiatas erant, iudices abierunt et post deliberationem statim sententiam tulerunt. Nero autem, ut ex Suetonio patet, hoc mutavit, quum „neque in commune quidquam neque propalam deliberabat, sed et conscriptas ab unoquoque sententias tacitus et secreto legens, quod ipsi libuisset, perinde atque pluribus idem videretur pronuntiabat,” et hoc iudicium tulit sequente die per libellos, ita ut reus statim absolveretur vel condemnaretur.¹

Postquam de fine libri act. et de iis, quae ex illo libro imprimis derivavit WIESELERUS, copiose disputavimus, paucis tantum verbis rem, qualis a WIESELERO sit proposita, repetere lubet, uti et argu-

¹ WIESELER putat ampliationem etiam eo tempore in usu fuisse, quo, secundum eum, spectat locus ex 2^a epist. ad Tim. cap. IV: 16. Sed GEIB (*Gesch. des röm. Criminalprocesses*) pag. 665 sqq., probavit ampliationem eo tempore locum non habuisse.

menta, quae contra hanc sententiam attulimus, ut lectores, si qui sint, brevem hac de quaestione habeant conspectum. Jam vidimus, quibus argumentis sententia WIESELERI, Lucam implicate infamam apostoli conditionem in act. apost. significasse, nitatur. Imprimis autem ei documento sunt ea, quae in 2^a Epist. ad Tim. narrantur, quandoquidem catenis instar malefici constrictus esset; catenarum suarum Christianos puderet; ipse Demas, olim apostoli socius, eum reliquisset, ipse apostolus mortem expectaret. Negari nolumus rem sic se habere potuisse; vidimus autem, tractantes epistolas pastorales, alteram ad Tim. epistolam nullo modo eo tempore scriptam fuisse; omnia igitur argumenta, quae ex illa epistola adducuntur, non sunt hujus loci. Quod ad argumenta, ex libro act. apost. adducta, attinet, vidimus nos eodem jure ex illo libro deducere posse, qua ealterius captivitatis sententiam probarent. Haec igitur nullo modo ad nostram sententiam infringendam valent, ita audientem: *ex act. apost. nihil quidquam derivari posse, quod probaret vel apostoli liberationem vel ejus mortem.* Denique vidimus, argumenta, quae WIESELERUS ex historia profana adduxit, ad probandum apostoli conditionem in pejus esse mutatam plane adversari iis, quae apostolus ipse de sua conditione in epistola ad Philippenses cum suis lectoribus communicavit.

PARS QUARTA.

DE VETERUM TESTIMONIIS.

Postquam omnes Novi Testamenti locos, qui ad nostrum argumentum spectare vel aliquid lucis afferre posse existimantur, tractavimus, nunc alia consideremus et attendamus etiam ad veterum testimonia ac inquiramus, utrum aliquid nobis narrent de apostoli e priore captivitate liberatione necne. Sin vero ad primorum post Christum saeculorum auctores attendimus, revera nonnulla se nobis offerunt, quae nostram sententiam plus minusve confirmare videntur, apostolum scilicet e priore captivitate liberatum esse, eumque postea iterum captivum, neci esse traditum. Multi scriptores hodierni temporis, iique doctissimi, nobiscum faciunt, sed plures etiam nostram sententiam plane rejiciunt, quam ob causam summa prudentia ad argumenta secus sentientium accurate ponderanda, opus erit.

Multi viri docti statuerunt traditionem apostoli in Hispaniam itineris, originem suam petiisse e loco ex epist. ad Rom. cap. XV: 24: ὡς ἐάν

πορεύομαι εἰς τὴν Σπανίαν, ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς; et sect. 28, ἀπελεύσομαι δι' ὑμῶν εἰς τὴν Σπανίαν. Hoc autem dictu quam probatu facilius; hac enim de re ab utraque parte disputari potest, ita ut ii, qui hoc quasi omni dubio majus ponant, petitionem principii committant. Primus auctor, qui nobis occurrit et qui aliquid, quod locum habere non potuit ante priorem captivitatem, narrare videtur, est Clemens Romanus in prioris epistolae ad Corinthios cap. 5°. Utrum haec epistola spuria sit habenda necne, haud adeo magni ponderis quaestio est, quod ad nostram sententiam attinet, quia vel sic vetustissimum testimonium esset. Clemens Romanus loco laudato haec scripsit: Κήρυξ γενόμενος (nempe Paulus) ἐν τε τῇ ἀνατολῇ καὶ ἐν τῇ δύσει, τὸ γενναῖον τῆς πίστεως κλέος ἔλαβεν. Δικαιοσύνην διδάξας ὅλον τὸν κόσμον καὶ ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν, καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, οὕτως ἀπηλλαγῆ τοῦ κόσμου, καὶ εἰς τὸν ἅγιον τόπον ἐπορεύθη, ὑπομονῆς γενόμενος μέγιστος ὑπογραμμός. Si hunc locum accurato examini submittimus hoc inde eruendum ac concludendum videtur, Paulum apostolum secundum Clementem Romanum Evangelium annuntiasse ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως; quibus e verbis satis multi efficiunt, Clementem dicere voluisse, Paulum etiam in locis Evangelii nuncium exstitisse, longe ulterius sitis ac a Roma remotis, cui sane sententiae etiam nos addictos esse libenter confitemur. Hoc autem tantum ex verbis

ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δόσεως probari potest, nam verba ὅλον τὸν κόσμον saepe ita occurrunt ut bene pateat, scriptorem tantum designare voluisse „in multis locis,” igitur ex iis nihil quidquam, quod ad nostram sententiam attinet, derivari potest. Neque vero illa verba ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δόσεως aliquid continerent, quod nostram sententiam confirmaret, si verum esset, quod SCHENKELIUS¹ in medium protulit, illam Clementis epistolam jam anno 64° vel 65° esse conscriptam. Omnia argumenta, quae contra hanc SCHENKELII sententiam allata sunt, recensere, non est hujus loci. Sufficiat id tantum monuisse sc: ponamus verba, ea indicare cultum Mosaicum Hierosolymis adhuc extitisse, nullo modo autem eadem verba probant illam epistolam anno 64° vel 65° esse compositam quum iisdem verbis Clemens uti potuisset, si epistolam anno 69° scripsisset.² Hoc igitur argumentum nullo modo nostram sententiam infringere potest. Sed ipsa illa verba, quae nostram sententiam plane probare videntur a multis ita explicantur, ut nullo modo amplius probent, quod ex iis efficere volumus. Argumenta, quae contra nostram explicationem adducuntur huc redeunt.

Clemens hoc loco valde rhetorice loquitur, verba igitur non adeo urgeri possunt.³ Sed qui rhetorice

¹ *Stud. u. Krit.* 1841, pag. 67.

² Animadvertere autem volumus hodierno tempore plerosque Clementis epistolam referre ad tempus Domitiani; sic e. g. GIESELER, *Kirchengesch.* BUNSEN, *Ignatius.* REUSS, *Gesch. d. H. Schw.* alii.

³ Sic WIESELER, l. l. pag. 529. MEYER, *Com. Römerbrief,*

loquitur, non necessario false loquitur, nec tamen hoc in loco tantas hyperbolas rhetoricas inveni. Provo-
 cant adversarii ad verba ὅλον τὸν κόσμον, sed
 haec verba vocare non possum hyperbolam *rheto-
 ricam*, ea vocare malletm hyperbolam valde *vulga-
 rem*, quam explicarem secundum antiquam regu-
 lam: verba valent usu. Etiam nos saepe talibus
 expressionibus utimur, si indicare volumus aliquid
 multis in locis esse propagatum. Hujus generis
 sententiae apud antiquos sexcenties occurrunt, et
 etiam epistolae lectores optime scire potuerunt
 Paulum Euangelium non per totum mundum pro-
 pagasse. Quod etiamsi ita esset, tamen res sic
 se non habet quod attinet ad verba: ἐπὶ τὸ
 τέρμα τῆς δύσεως. Nam si sententia doctissimi
 BAURI¹ vera esset: verba τέρμα τῆς δύσεως idem
 significare ac ἡ δύσις, tum, ut unusquisque videre
 potest, Clemens bis idem dixisset, nam jam antea
 dixerat, Paulum Euangelium annuntiasse ἐν τῇ δύσει.
 Neque altera illius viri explicatio placet,² quum
 statuit ea verba esse posita pro ἡ (vel ἐν ἡ) τὸ
 τέρμα ἐστίν, nam tum, ut jam WIESELERUS monuit,
 addi debuisset ἑαυτοῦ. Nullum ex loco citato ad-
 duci potest argumentum, quod probet hisce ver-
 bis Clementem indicare voluisse terminum apostoli

Einl. pag. 13. BAUR, *Tüb. Zeitschr.* 1831, Hft. 4 pag. 130.
 REUSS, l. l. pag. 161.

¹ l. l.

² l. l. et etiam SCHENKEL l. l.

ac minime, uti verba satis aperte indicant, terminum occidentis.¹ WIESELERUS nobis concedit, illa verba, si talia sunt qualia vulgo typis expressa leguntur, indicium apostoli in Hispania praedicationis continere posse, sed eodem jure putat ea posse explicari de Roma; nam quia Clemens laborem Pauli valde extollit, ejus verba a nobis non sunt urgenda.² Sed si ad totum illum locum attendimus facile videmus Clementum tot posse enumerare in vita apostoli facta, ut, ad apostoli labores extollendos, non opus esset nonnulla addere, quae non essent ab eo facta. Si scriptor ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως urgere noluit, procul dubio verba ὅλον τὸν κόσμον jam sufficiebant, et si WIESELERUS putat alia argumenta adducenda esse, quae Pauli in Hispaniam profectionem probarent, postea probare conabimur prorsus talia argumenta adesse. WIESELERUS autem ad probandam suam sententiam, illa verba optime posse explicari de Roma, nonnulla adducit argumenta. Primum illud argumentum est,³ quod apostolus in epistola ad Romanos, quum ipse nondum Romae quidem fuisset, dicere posset Euangelium esse annuntiatum εἰς πᾶσαν τὴν γῆν et εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης.

Sed confiteri debeo, me non intelligere quomodo ille vir tanta sagacitate praeditus hunc locum ad

¹ Cf. HUTLER, l. l. pag. 30.

² l. l.

³ Sic etiam BAUR, REUSS, SCHENKEL.

⁴ l. l. pag. 530.

suam sententiam probandam adducere potuerit. Nam non suis ipsius verbis hoc loco Paulus loquitur, sed allegat verba Psalmi XIX et sic poëtica oratione sententiam exprimit et nullo modo hic enumerat in quibus locis ipse Euangelium annuntiavisset.

Neque argumentum valet quod WIESELERUS adduxit, ex act. apost. I: 8 coll. cum XIII: 47; quum enim WIESELERUS ipse statuerit, librum actuum a Luca esse scriptum ante Imperatoris iudicium¹, ex iis verbis effici non potest, Lucam proponere Romam tanquam ἔσχατον τῆς γῆς, neque Jesus in act. apost. I: 8 quia nusquam e libro act. apost. patet Lucam sic de Roma esse locutum. Adversariorum autem quisnam mihi haec posset explicare, sc. Clemens, ipse civis Romanus, ipsa in urbe Roma, totius orbis capite et quasi umbilico, de potentissima ac maxima hacce urbe scribens, quomodo ille, quamvis ex mente Corinthiorum id faciens, quomodo ille de Roma uti posset formula dicendi τ. τ. τ. δ. ? Id mihi explicatum vellem. Locus cap. XIII: 47 etiam ex Vetere Testamento sumtus est, neque probari potest hisce verbis Lucam Romam intellexisse. Denique etiam si probari posset hisce verbis, Lucam Romam tanquam terrae extremam partem de-

¹ I. I. pag. 402 et cum WIESELERO facit cl. SCHOLTEN, I. I. pag. 316, qui sic loquitur: „t welk (np. Roma) destijds, althans door de eerste christenen en de schrijvers van het N. T. voor de uiterste grens van het Westen pleegde gehouden te worden. Zoo wordt b. v. Rome bedoeld met τὸ ἔσχατον τῆς γῆς.”

signare voluisse, etiam tum nihil probaret, nam quaestio hic non est, quid Lucas sibi voluerit, quum scriberet *ἕως ἑσχαίου τῆς γῆς*, sed quid Clemens sibi voluerit, scribens *ἐπὶ τὸ τέλος τῆς δύσεως*.

Porro WIESELERUS statuit Lucam, quum in act. apost. cap. II: 3—11, diversas nationes enumerat, Romanos tanquam extremum Occidentis populum nominare.¹ Sed non legitur Lucas illo loco re vera extremum Occidentis populum enumerare voluisse, et hic tantum enumerat nationes, quae aderant, quam ob causam populos ultra Romam habitantes nullo modo enumerare potuit. Ut igitur jam diximus omnes illi loci nihil explicant, si rogamus quid Clemens voluerit scribens: *ἐπὶ τὸ τέλος τῆς δύσεως*.

Aliud audiamus argumentum. Contendit WIESELERUS,² textum ut Junius alique eum restituerunt, non esse verum textum; nam Eusebius, qui optime novit epistolam Clementis, ad illius testimonium non attendit et nullus alius hoc fecit. Eam ob causam WIESELERUS legere vult non: *ἐπὶ τὸ τέλος* sed: *ὑπὸ τὸ τέλος* etc. ut sic significaret Paulum venisse coram Occidentis iudicibus. Eusebium hunc locum aliter legisse, nullo modo sequitur ex ejus silentio. Nam locus, quem ex Clementis epistola citavimus non agit de Pauli liberatione per se spectata, sed factum aliquod memorat, nempe Pauli iter in Hispaniam, ex quo sequitur eum antea fuisse liberatum. Eusebius autem hujus apostoli itineris

¹ Sic etiam SCHOLTEN, l. 1. ² l. 1. pag. 350 sqq.

mentionem non facit. Tantum narrat eum esse liberatum, cujus rei ei est documento, quod legitur in altera epistola ad Timotheum ἐρρῶσθην ἐκ στόματος λέοντος. Quod argumentum ei eo majoris ponderis fuit, quum ipsius apostoli verba sint, et quum Eusebius dictum apostoli ad suam sententiam probandam adducere possit, ei non opus erat Clementis dictum testari, qui iter in Hispaniam memorat. Ni fallor igitur, tum illud argumentum secus sententiam tantum aliquid probaret, si Eusebius etiam apostoli iter in Hispaniam memoraret et tum non ad Clementis dictum provocaret. Textus vero mutationem approbare nullo modo possumus. Primo enim loco non verosimile est Clementem tribunal Imperatoris vocasse tantum *τέρμα τῆς δύσεως*, neque ad contextum quadrat, quia convenire debet cum praecedentibus *ὄλον τὸν κόσμον*, neque, et hoc est gravissimum argumentum, *τέρμα* hac significatione, quam WIESELERUS vindicat, (cum *ἔρχεσθαι* conjunctum) occurrit. Quum enim *τέρμα* significat „tribunal” vel „summam rerum potentiam,” tantum conjungitur cum verbo *ἔχειν*, uti *τέρμα ἔχειν τινός*.¹ — Progredimur ad aliud argumentum quo utuntur. Statuunt nempe Clementem sic scribere ex mente Pauli, ita ut Clemens non nominet *τέρμα*, quod unicuique *τέρμα τῆς δύσεως* erat, sed quod Pauli habita ratione *τέρμα* erat.² Sed quaenam sunt

¹ Cf. Wörterbuch von JACOBITZ u. SKILER ad vocem *τέρμα*.

² BAUR, SCHENKEL, VAN HENGEL, MEYER.

argumenta, quae probant Clementem tantum hoc loco loqui de Pauli in Occidente termino? Verborum structura potius contrarium probat, nam verba, quae adduntur: τῆς δύσεως, mihi satis probare videntur hoc loco sermonem esse de termino regionum occidentalium, nam Corinthii ad quod Clementis scripsit, bene noverunt Paulum in Occidente esse occisum, et non opus erat illa verba addere, quae male explicata falsas sententias dispergere potuerint. Quum jam antea monuerit Paulum Euangelium annuntiasse ἐν τῇ δύσει, non video quare illa verba ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως addiderit, nisi indicare voluerit apostolum ultra Romam esse progressum. Etiam si concedamus Clementem scribere ex mente Corinthiorum, tamen nil minus illa verba iter Pauli ultra Italiam probarent, nam demonstrari nequit Corinthios Romam habuisse τέρμα τῆς δύσεως, quia illa urbs magis erat centrum totius regni. Multi autem obijciunt Clementem, si nostra explicatio vera sit, narrare Paulum in Hispania esse interfectum;¹ sed verba ipsa hoc necessario non produnt. Hoc enim loco agendum est de vocabulo „μαρτυρήσας,” quod nonnulli volunt „martyrium subire” significare; nullo autem jure ni fallor. In epistola enim ad Tim. priore cap. VI: 13. hoc vocabulum occurrit sed ibi martyrium subeundi significationem non habet sed verti debet, testari, testimonium reddere; porro probari

¹ Sic SCHRADER, SCHOLTEN, MEYER.

αγγέλιον τοῦ Χριστοῦ et porro addit: unumquemque videre verba ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως nullo modo esse urgenda. Sed tum mirari debemus Clementem nihil quidquam de apostoli Romae labore monere, qui labor re vera erat gravissimus et etiam dubium est utrum Illyria τὸ τέρμα τῆς δύσεως vocari possit. HEMSENIUS autem statuit: „nullo modo ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως esse urgendum,” hoc autem mihi nondum constat, nam si locum legimus potius crederemus Clementem, qui jam locutus erat de apostoli labore in Occidente et Oriente, quam mundi divisionem, ut ita dicam, verbis ὅλον τὸν κόσμον, complectitur, imprimis illa verba ursisse.

Vidimus igitur argumenta, quae adducuntur ad probandum Clementem hoc loco nullam regionem ultra Romam indicare voluisse, contorta niti explicatione, quam ob causam nostram sententiam infringere non possunt.¹

Multi autem contenderunt, Clementem non tantum in hac epistola iter apostoli in Hispaniam communicare, sed etiam tempus annuntiare quo Paulus sit interfectus. Attendunt nempe illi imprimis ad Clementis verba: ἐπὶ τῶν ἡγουμένων.

¹ Etiam WINER: Real-Wörterbuch ad vocem „Paulus,” quam statuit dictum illud CLEMENTIS non tanti esse ponderis haec tamen scribit: „In der Deutung des τέρμα τῆς δύσεως stimme ich NEANDER bei und glaube nicht dass, wie jetzt Viele behaupten, Rom zu verstehon sei?”

KOEHLERUS¹ statuit ea verba esse vertenda „sub Imperatoribus” et sic Clemens ageret de anno 69° quo imperatores Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus sibi mox successerunt. Sin vero hac in re viro doctissimo consentiendum esset, Clementis narratio plane omnibus veterum testimoniis adversaretur, ex quibus patet apostolum Paulum a Nerone esse interfectum. Clemens re vera obscure locutus esset, quum vocabulum „ἡγέμονες” omnes indicare possit homines, qui magnam habent vim et potentiam, et quia, ut jam diximus, dictum Clementis minime conveniret cum aliis veterum testimoniis, KOEHLERI sententia plane est rejicienda.²

Alii verba illa dicta esse statuerunt de praefectis praetorio Tigellino et Nymphidio Sabino.³ — Animadvertendum autem est tunc temporis imperatores ipsos tales res curasse.

PEARSON imprimis statuit hisce verbis indicari Helium et Polycletum, qui regnum tenebant, quum Nero in Graeciam profectus esset. Sed e Dione patet Neronem tantum Helio regnum tradidisse et tum melius scripsisset Clemens: ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνου. Quidquid hujus rei est, si Clemens ad tales conditiones attendere voluerit, satis obscure sententiam

¹ Versuch über die Abfassungszeit der Epistolischen Schriften im N. T. u. der Apocalypse, pag. 109.

² WIESELER de hac sententia dixit l. l. „(sie) ist zu unhaltbar, als dass sie weiter widerlegt zu werden verdiente.” Cff. etiam SCHOTT et WURM.

³ Sic e. g. HUG, l. l. tom. 2° pag. 323.

expressit, et quum ἡγέμονες, sensu latiore, significare possit „principes” melius erit si statuimus Clementem indicare voluisse Paulum coram principibus mundi testimonium de Christo edidisse. Ea significatione saepe vocabulum ἡγέμων occurrit etiam in N. T. sic e. c. Matth. X : 18: καὶ ἐπὶ ἡγέμονας δὲ καὶ βασιλεῖς ἀχθῆσεσθε κ. τ. λ. sic etiam Marc. XIII : 9, Luc. XXI : 12; sic etiam Pilatus ἡγέμων vocatur Matth. XXVII : 2, 11, 14, 15, 21, multis aliis in locis, sed haec sufficiant ad nostram explicationem probandam.

Hoc igitur ex illa Clementis epistola patet: Apostolum ultra Romam Euangelium annuntiasse, sed nihil dicit de tempore quo apostolus mortem subierit.

Videamus de alio vetustatis testimonio in epistola Dionysii ad Romanos quem Eusebius allegat, et quam multi attulerunt ut Paulum e priore captivitate esse liberatum probarent. Statuebant enim locum hunc continere narrationem: Paulum una cum Petro Corinthi fuisse, et porro cum Petro Romam adiisse, qua in urbe eodem tempore interfecti essent. Locus ille sic se habet: Ταῦτα καὶ ὑμεῖς διὰ τῆς τοιαύτης νοθεσίας τὴν ἀπὸ Πέτρου καὶ Παύλου φυτεῖαν γεννηθεῖσαν Ῥωμαίων τε καὶ Κορινθίων συνεκεράσατε. Καὶ γὰρ ἄμφω καὶ εἰς τὴν ἡμετέραν Κόρινθον φυτεύσαντες ἡμᾶς ὁμοίως ἐδίδαξαν, ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὴν Ἰταλίαν ὁμοσε διδάξαντες ἐμαρτύρησαν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν.

Breviter tantum de hoc loco agemus, quia facile cum iis facere possumus, qui statuunt ex Dionysii verbis non sequi ambos apostolos simul Romam adiisse. Quum auctor dixit apostolos *ὁμοίως* Corinthi et Romae docuisse, ex illo vocabulo non sequitur eos simul et eodem tempore hoc fecisse, neque autem effici potest ex verbis *ὁμοσε διδάξαντες κ. τ. λ.* eos simul Corintho profectos, Romam adiisse. Illud vocabulum *ὁμοσε* quidem apud Polybium nonnumquam occurrit eadem significatione ac *ἄμα* vel *σὺν*¹, sed non sequitur hoc loco ita esse interpretandum. Hic alio modo esse explicandum patet ex praepositione *εἰς*, ex quo sequitur vocabulum *ὁμοσε* denotare quomodo Evangelii annuntiatio apostolorum se propagaverit, et nullum verbum additur, quod itineris faciendi notionem haberet², ita ut vertendum videatur „ad eundem locum versus.“ Sic locus nihil continet quod nostram sententiam fulciret, nam tantum nar-

¹ Cf. Lexicon: von JACOBITZ u. SEILER ad vocem.

² Cff. hac de re imprimis WIESELER et SCHOTT, *Erörter.* Multi, qui defendunt explicationem, quam rejecimus, tantum ponunt rem ita se habere, sed explicationem non defendunt contra aliorum objectiones. Sic HUG, WIESINGER, CREDNER, HEYDENREICH, MYNSTEK autem (*kleine theol. schrift.*) pag. 154 qui primo sic locum vererat: so haben sie auch beide in Italien zugleich (*ὁμοσε*) gelehrt, postea tamen sic loquitur: „ob sie eine Zeitlang in Italien zusammen gelehrt haben bleibt zweifelhaft, denn das Wort *ὁμοσε* dessen DIONYSIUS sich bedient, kann vielleicht von einer Vereinigung in den Bemühungen, die nicht immer ein Zusammentreffen in der Zeit voraussetzt, verstanden werden.“

rat Petrum etiam Corinthi docuisse et eum eodem tempore ac Paulus Romae esse interfectum.

Aliud autem testimonium occurrit, quod probaret Paulum re vera iter fecisse in Hispaniam; in canone Muratorii, cujus textus eheu! valde est corruptus, sed qui semper valet ad sententiam nostram probandam. Sic se habet locus. „Acta autem omnium apostolorum sub uno libro scripta sunt Lucas optime Theophile comprehendit, quia sub praesentia ejus singula gerebantur, sicut et semote passionem Petri evidenter declarat sed profectionem Pauli ab urbe ad Hispaniam proficiscentis.”

Si ad ultima hujus loci verba attendimus bene patet auctorem re vera novisse apostolum ad Hispaniam esse profectum. Sunt qui statuunt, textum tam esse corruptum ut non multum ex eo deduci possit,¹ et quidem summo jure, si hic esset unicum veterum testimonium. Quum autem viderimus locum Clementis non nisi de Hispania explicari posse, hic locus, quamquam correptus, optime potest adduci ad nostram sententiam probandam. WIESELERUS autem statuit auctorem sententiam eorum, qui putabant Paulum iter in Hispaniam suscepisse, redarguere. Hoc autem probari nequit, et etiamsi ita esset, etiam tum locus ille probaret eo tempore jam multos sic statuente fuisse; et scriptorem hanc sententiam tantum eam ob cau-

¹ Sic REUSS l. l.

sam redarguere, quia Lucas illud iter omisit, ut ipse WIESELERUS contendit ¹. At si revera hoc sibi voluisset auctor, non multum probaret, nam permulta Lucas omisit, quae tamen facta sunt. Sed minime opus est ut cum WIESELERO faciamus. Nam recte jam monuit HUTHERUS ² verba illa esse antithesin ad ea, quae praecedunt, „comprendit (comprehendit)” usque ad „gerebantur,” ita ut auctor dicere velit, Lucam narrare quae sub praesentia gerebantur, ut etiam martirium Petri non quidem in actibus apost. sed semote narrat; Pauli autem itineris in Hispaniam nullam mentionem fecit, et quidem eam ob causam, quia id non sub ejus praesentia gerebatur; et sic omnia multo melius quadrant ³.

Sed alius in antiquitate occurrit locus, quem explicare nobis opus est. Invenitur apud Historiae patrem Eusebium, et sic se habet in Hist. Eccles. II ; 22: τότε μεν (nempe post duos annos act. 28, 31) οὖν ἀπολογησάμενον αὐθις ἐπὶ τὴν τοῦ κηρύγματος διακονίαν λόγος ἔχει στείλασθαι τὸν ἀποστολον, δεύτερον δ' ἐπιβάντα τῇ αὐτῇ πόλει τῷ κατ' αὐτὸν τελειωθῆναι μαρτυρίῳ.

Hic bene videre possumus tempore Eusebii traditionem sparsam fuisse, secundum quam Paulus apostolus ex captivitate liberatus est.

¹ l. l. pag. 536.

² l. l. pag. 21.

³ Cf. etiam MEYER l. l.

Sed uno tenore omnes nostrae sententiae adversarii clamitant, tantum esse vagum quendam rumorem, omni historico fundamento egentem.¹ Hoc autem dictu quam probatu facilius, nam nondum illi probaverunt re vera verba „*λόγος ἔχει*“ tantum usurpari de fama quadam vel de fabula, nam optime sic de traditione historica loqui potuit Eusebius. Ad ea accedit, quod ille *λόγος* optime quadrat in ipsius apostoli expectationes, quales occurrunt in epistola ad Philippenses, uti supra vidimus. Hoc autem concedere volumus, eum non invenisse scriptorem, qui etiam totidem verbis apostoli liberationem narraverat. Sed in mentem revocemus ea, quae supra, agentes de loco Clementis, de Eusebio diximus. Sed quum Eusebius nihil narret de apostoli in Hispaniam itinere, nullo modo cum WIESELERO² facere possumus, statuente Eusebium nonnullorum tantum sententias, quales in canone Muratorii occurrant, ante oculos habuisse, quum scripsit: *λόγος ἔχει* etc. Nam si hoc verum esset, iter in Hispaniam non omisisset. Sed quamquam fortasse nullum invenit scriptum documentum Eusebius, minime tamen inde sequitur traditionem, quam se-

¹ Sic SCHRADER, WIESELER, REUSS, SCHENKEL, SCHAFF, HEMSEN.

² l. l. pag. 338. „Solche Meinungen Einzelner, wie sie im Canon von MURATORI angedeutet zu sein scheinen, welche zerstreut hie und da aufgetaucht sein mögen, wenn sie uns auch nicht urkundlich überliefert sind, mag EUSEBIUS bei seinem *λόγος ἔχει* im Sinn gehabt haben.“

cutus est, fuisse falsam, nam hoc probari deberet; et Eusebium sibi persuasum habuisse hanc traditionem esse veram, sequitur ex iis, quae eodem capite scribit: ταῦτα δὲ ἡμῖν εἴρηται, παρισταμένοις ὅτι μὴ καθ' ἦν ὁ Λουκᾶς ἀνέγραψεν ἐπὶ τῆς Ῥώμης ἐπιδημίαν τοῦ Παύλου, τὸ μαρτύριον αὐτῷ συνεπεράνθη, quae verba sufficiunt ad HEMSENIIUM erroris convincendum, statuentem illam traditionem Eusebio minoris ponderis fuisse¹. Quo magis interpretes Eusebium historicum laudant, eo gravius ejus testimonium fit.*

Nihil valet adversariorum argumentum, si statuerunt Eusebii sententiam niti explicatione contorta epistolae alterius ad Timotheum; nam λόγος aderat, et ad eum primo loco provocat Eusebius, et nunc ei altera ad Tim. epistola documento erat, illum λόγον verum esse; nil igitur interest num illa explicatio plane esset falsa, nam semper λόγος manet. Neque autem contra nostram sententiam adduci potest, Eusebium narrare Paulum interfectum esse in prima christianorum persecutione, nam hoc bene in concordiam redigi potest cum nostra sententia. Re vera in eo omnes, qui Neronis persecutionem narrant, conveniunt, apostolum tum esse interfectum. Non enim video quomodo WIESELERUS, qui alteram Pauli captivitatem defen-

¹ l. l. „Er hat sie aus einer mündlichen Ueberlieferung geschöpft und giebt sie, ohne besonderes Gewicht darauf zu legen wieder.

² SCHRADER l. l. eum vocat: der viel belesene Eusebius.”

dere non ausus est, quia non satis firmis historicis documentis nititur, tamen contra omnia historica documenta statuere audeat, Paulum ante illam persecutionem esse interfectum.¹ Illa persecutio initium cepit anno 64°, sed ubi sunt argumenta, quae probent illam non per aliquod temporis spatium durasse? Hoc eo facilius locum habere potuit, quum urbis incendium magis praetextus esset, ut luculenter patet ex Taciti narratione.²

Sed, dicunt multi, credidit Eusebius apostolum esse liberatum initio regni Neronis, quod nullo modo convenit cum actuum apostolorum narratione. Sed etiam hic rursus valet quod jam saepe monuimus *λόγον*, ad quem Eusebius provocat, jam exstitisse, antequam Eusebius scriberet; et nunc Eusebio mirum videbatur, Neronem apostolum Paulum ex carcere remisisse sub finem sui imperii, quum jam crudeliter imperaret, et quia traditio ei omni dubio major erat, priorem captivitatem et liberationem apostoli locum habuisse initio Neronis regni, quum ejus regnum erat mite, statuit, quam ob causam addi curat Eusebius eodem capite: *εἰκὸς γέ τοι κατὰ μὲν ἀρχὰς ἡπιώτερον τοῦ Νέρωνος διακειμένον ῥᾶον τὴν ὑπὲρ τοῦ δόγματος τοῦ Παύλου καταλεχθῆναι ἀπολογία.*

In Abdiae historia apostolica nullam invenimus incendii et persecutionis mentionem, nam postquam

¹ l. l. pag. 547 et 551.

² *Annalium* liber XV: 44 . . . „multitudo ingens, haud perinde in crimine incendiū quam odio generis humani convicti sunt.”

verbis, quibus Lucas usus est, locutus est de Pauli Romae conditione, sic pergit: ¹ „Haec dum Romae apostolus faceret, interea apud Neronem Caesarem defertur, quod non solum novam superstitionem inveheret verum etiam adversus Imperium seditiones excitaret. Accusatus igitur et interrogatus a Nerone, ut rationem doctrinae suae redderet ita coram Caesare locutus est,” nunc oratio, quam apostolus habuit sequitur. Nihil igitur narrat neque de incendio neque de persecutione neque de liberatione apostoli.

Lactantius ² autem narrat Paulum et Petrum periisse in Christianorum persecutione, uti etiam Sulpicius Severus. ³ Hoc autem facile explicari potest. Nam finis actuum apostolorum nihil narrat de apostoli morte vel liberatione. Quum autem constaret apostolum Romae esse interfectum optime multi statuere potuerunt eum periisse in illa captivitate, de qua Lucas in actibus narrat et etiam ii, qui locum Clementis de itinere in Hispaniam explicuerunt, optime credere potuerunt illud iter locum habuisse antequam captivus factus est apostolus.

Ceterum de testimoniis post Eusebium hinc nihil, quoniam ex iis non patet utrum e. g. crediderint Paulum in Hispaniam abiisse, quia disertis verbis in ep. ad Rom. hoc suum consilium enunciaverat vel quia hoc ex aliis documentis hauserint, quare minoris ponderis sunt habenda.

¹ *Fabr. Cod. Apocr.*

² *De mortibus persecutorum.*

³ *Historia sacra.*

CONCLUSIO.

Pro viribus apostoli expectationes, quas fovit in priore captivitate et quas cum lectoribus epistolarum communicavit, examini exegetico submisimus. Attendimus ad epistolas pastorales, quae dicuntur, et ad ea, quae nobis narravit Lucas in actibus apost., et ad veterum testimonia. Restat ut paucis verbis conclusionem dicamus.

Vidimus apostolum in ipsius captivitate ad finem vergente expectavisse, se liberatum iri et quidem brevi. Quamquam ex iis indiciis non concludimus eum re vera esse liberatum, animadvertimus tamen, conditionem in qua eo tempore apostolus versabatur, satis faustam, vel saltem ejusmodi fuisse, ut haec expectatio haud inanis vel temeraria dici queat, sed potius satis firmo vel haud contemnendo nixa fuerit fundamento. Hisce expositis, copiose egimus de interpretum conatibus, epistolas pastorales in concordiam redigendi cum indiciis historicis, quae in libro actuum nobis obviam veniunt. At vidimus illos oleum ac operam perdidisse

et ea, quae legimus in altera ad Timotheum epistola non nisi contorte explicari posse, nisi alteram captivitatem admittamus. Quam ob causam ad alteram captivitatem concludimus et animadverti velimus, quomodo sic omnes fere difficultates solvantur, cunctaque optime procederint. Porro quae contra nostram sententiam afferri possunt vel re vera allata sunt, refutare conati sumus. A Pauli epistolis, nos vertimus ad act. apostolorum librum, vidimus Lucam nihil narrare neque de apostoli morte neque de ejus liberatione, et provocantes imprimis ad epistolam ad Philippenses, omnia rejecimus, quae alii ex historia profana attulerunt, ut sententiam, Pauli captivitatem ipsius mortem finem vel terminum habuisse, e mente quoque Lucae, probabilior redderent. Denique invenimus in antiquitate Clementem Romanum et scriptorem Canonis Muratorii memorantes iter apostoli in Hispaniam, et Eusebium pariter alteram Pauli captivitatem defendentem. Sic multa adsunt argumenta ad sententiam alterius captivitatis fulciendam.

Quaestio autem sic si habet ratione habita authenticitatis epistolarum pastoralium. Qui eas epistolas spurias habent, optime ita sibi explicare possunt veterum testimonia, ut parum valeant, attamen ea omnia non nisi secundum eorum sententiam optime posse explicari, nondum probaverunt. Videant autem ne nimis temerarie agant, nam pauca tantum documenta ad nos venerunt, quae aliquid de apostolorum fatibus continent, ita ut

eo majoris ponderis esse debeant, quae nobis nar-
rantur.

Iis vires doctis, qui epistolas pastorales spurias habent, pleraque sane allata argumenta minoris erunt ponderis. Quod vero attinet ad eos, qui epistolas illas genuinas esse statuunt, spero fore ut ii, post hujus speciminis lectionem, persuasum sibi habeant, alteram Pauli captivitatem re vera esse ponendam.

Antequam autem huic disputationi finem imponamus, paucis verbis nobis exponendum est, quaenam itinera Paulus ante suam alteram captivitatem perfecit et quando interfectus sit. Quaenam itinera apostolus post priorem captivitatem fecerit, ex ejus ipsius verbis efficiendum est, quae leguntur in epistolis ad Philemonem et ad Philippenses et ex iis, quae in epistolis pastoralibus obviam veniunt. Anni advertere autem vix opus est, apostolum facile consilium, quod in captivitate iniit, mutare potuisse; sed quia secundum epistolas pastorales in Asiam reversus est, verosimile est eum illa consilia perfecisse.

Quod attinet ad annum, quo apostolus neci est traditus, nonnulli putant eum fuisse annum 67^{um} vel 68^{um}. Sed jure suo HUTHERUS animadvertit tunc pluribus nobis opus esse testimoniis, si tamdiu post liberationem Paulum denuo captivum factum esse credere velimus. Sed quum statuit idem ille viri doctissimus Paulum jam anno 64^o esse interfectum, tum illud temporis spatium nimis breve est, quare

mihi magis verosimile esse videtur apostolum anno 65. esse interfectum. Si HUTHERUS provocat ad epistolas pastorales, quae nihil continent de incendio vel de persecutione, in eo facile cum eo facere possumus, imprimis quod attinet ad priorem ad Timotheum et ad epist. ad Titum, sed illae epistolae, ut jam antea diximus, spectant imprimis ad officia, quibus fungi debebant Timotheus et Titus, in ecclesiis, quibus praecerant, et sic apostolus magis loquitur de harum ecclesiarum statu quam de conditione universali omnium christianarum ecclesiarum. Sed in altera epistola ad Tim. nonnulla occurrunt, quae optime explicari possunt, quum statuimus Paulum eam scripsisse, eo tempore, quo Romae persecutio contra Christi sectores exarseret, ita ut praevidere potuerit apostolus, mox omnes christianos tales persecutiones passuros esse. Sic legimus e. g. in altera epist. ad Tim. cap. I: 8: *Μὴ οὖν ἐπαισχυθῆς τὸ μαρτύριον τοῦ κυρίου, μηδὲ ἐμὲ τὸν δέσμιον αὐτοῦ, ἀλλὰ συγκακοπάθῃσον τῷ εὐαγγελίῳ κατὰ δύναμιν θεοῦ.* Sic rursus cap. II: 3 *σὺ οὖν κακοπάθῃσον ὡς καλὸς στρατιώτης Ἰησοῦ Χριστοῦ:* et sect. 12 ejusdem capitis: *εἰ ὑπομένομεν, καὶ συμβασιλεύσομεν· εἰ ἀρνούμεθα, κἀκεῖνος ἀρνήσεται ἡμᾶς* et cap. IV: 5: *σὺ δὲ νῆφε ἐν πᾶσι κακοπάθῃσον etc.* Ea omnia optime explicari possunt, si statuimus Paulum praeparare voluisse Timotheum ad persecutiones, quae etiam ei ipsi imminebant.

Quum viderimus illas epistolas nostrae sententiae

non adversari, agere possumus de itineribus, quae apostolus post captivitatem perfecit.

Medio anno 63^o liber factus est apostolus et tum Ephesum se contulit, ibi per aliquod temporis spatium mansit et fortasse interea Philemonem visitavit; postea, Timotheo relicto, in Macedoniam abiit, ibi satis diu moratur, et quum jam consilium inivisset Ephesum redeundi, priorem epistolam ad Timotheum scripsit. Tum per Trojadem se contulit ad urbem Ephesi et ibi haud diu mansit. Porro initio anni 64ⁱ cum Tito in Cretam abiit, et ibi Evangelium in nonnullis locis annuntiavit; tum Titum ibi reliquit et ipse Corinthum adiit. Ibi consilium cepit Nicopoli hiemandi, quod consilium in epist. ad Titum cum hoc communicat. Postquam in ea urbe hiemaverat, rursus Ephesum adiit, ut salutaret Timotheum, qui multis lacrymis (2 Tim. I: 4) eum valere jubet.¹ Trophimum, quem secum ducere voluit in Hispaniam, aegrotantem Mileti reliquit, et quum rursus Corinthum venisset, ut Erastum secum duceret, hic noluit. Abiit in Hispaniam, utrum ibi diu moratus sit, et postea Romam se contulerit, an vero in Hispania captivus factus, Romam ductus, tacente prorsus Historiâ non liquet. Fortasse autem medio anni 65ⁱ Romam venit, si nondum captivus, mox futurus; scribit hîc alteram

¹ Mihi verosimile videtur, apostolum, quum jam Romae esset, Titum in Dalmatiam, Tychieum Ephesum, et Crescentem in Galatiam misisse.

epistolam ad Timotheum, postquam jam coram
 iudicibus steterat, eumque adhortatur, ut ante hie-
 mem veniret. Verosimile est Timotheum venisse, et
 tum eodem anno, nempe anno 65° apostolum im-
 mortalem martyris promeruisse coronam verosi-
 mile est.

TANTUM.

THESES.

I.

Omnibus bene perpensis, quae ab utraque parte disputari possunt, longe probabilius est, Paulum apostolum bis quam semel Romae captivum fuisse.

II.

Paulus ante duas epistolas ad Corinthios scriptas bis Corinthi fuit.

III.

Non assentior WIESELERO statuenti epistolam ad Philemonem esse epistolam, cujus mentio fit Col. cap. IV: 16.

IV.

ORIGENI textus Novi Testamenti recensio tribui nequit.

V.

Optime Cl. DOEDES (Verh. over de tekstkritiek des N. V.): De slotsom is, dat men in het algemeen de mogelijkheid van het wedervinden des oorspronkelijken moet vasthouden, het moeilijke daarvan in de bijzondere gevallen mag toegeven, maar het onmogelijke daarvan nimmer als zeker kan vaststellen.

VI.

Ex Act. apost. sine nihil quidquam derivari potest ad probandum apostolum vel liberatum esse vel supplico traditum.

VII.

Valde errat THIERSCH, contendens alteram ad Timotheum epistolam Caesareae compositam esse.

VIII.

Optime LECHLER (Das Apost. und das Nachapost. Zeitalter) sic statuit: Der Apostel (Paulus) kann unter $\sigma\acute{\alpha}\rho\chi$ unmöglich etwas bloss Sinnliches und Körperliches verstehen.

IX.

Errant, qui contendunt orationem montanam omnem Christi religionem complecti.

X.

Liber קהלת Salomoni est abnegandus.

XI.

REUSSIUS errat dicens Paulum in epist. ad Romanos dogmatum eschatologicorum nullam fecisse mentionem.

XII.

Verbis „ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτή” (1 Petr. V: 13) christianorum coetum Romae conditum intelligendum esse, contra multos hodierni temporis interpretes et criticos contendimus.

XIII.

Puerorum institutio christiana Euangelii interpretibus admodum curae cordique esse debet, ut haud facile eam aliis relinquunt.

